DE
DIONYSIO MINORE
SYRACUSARUM TYRANNO.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. MENSIS SEXTILIS A. MDCCCLXX

PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

JOANNES ZENZES
RHENANUS.

MONASTERII.

TYPIS THEISSINGIANIS.

MDCCCLXX.

R. D.

LUDOVICO WIEDEMANNO

PAROCHO ODENKIRCHENSI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Pars prima.

Qualis fuerit Syracusanorum ante Dionysium minorem tyrannum status.

Quum novissimis temporibus non ita pauci in hanc historiae partem explicandam incubuerint atque priscis Siciliae rebus accurate describendis diligenterque investigandis clarorum virorum ingenia non defuerint, rerum statum, qualis fuerit ante Dionysium minorem tyrannum et tota Sicilia et imprimis Syracusis tantum, quantum ad rem illustrandam necessarium puto, attingam.

Syracusae ex quinque partibus in unam urbem contractae[1]) Archia Corinthio duce, anno post Naxum 734 (?) conditam, Siculis bello superatis, ad oram orientalem in Ortygia insula conditae sunt[2]). Sed quum agri fertilitate mercaturaque adducti plures in dies mercatores advenaeque Syracusas venirent, et cum iis, qui a colonis Graecis, sive Geomoris, quos vocant, oppressi erant, sese conjunxissent Callicyriorum[3]) seditione omnes optimates ex urbe ejecti Camarinas decesserunt et a Gelone, Gelae ty-

---

[1]) Cf. Strabo VI, 2, 4. Cic. in Verrem IV, 53, Liv. XIV, 21, 22, 23, 32; XXV, 24, 25, 29, 30. Diod. XI, 67, 68; XIII, 7, 11; XIV, 18. XVI, 69. Plut. Timol. c. 11, 18, 21. Plut. Dion. c. 29. Göller: de situ et origine Syracusarum. Grote Geschichte Griechenlands III p. 181. IV p. 131. V p. 184. et imprimis Pauly Encyclopädie s. v. Syracus. Holm Geschichte Siciliens I.

[2]) De anno urbis conditae, quum nondum satis constet cf. Fischer: Griech. Zeittafeln ad a. 734. Ed. Meier in der Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1845 Nro. 109. Cluv. ll. I p. 167.

[3]) De Geomoris et Callicyriis cf. Hense dissert. de Hierone a. 1862 p. 2 sq. Grote III p. 160, 166.

ranno, auxilium petiverunt, qui precibus eorum obsecutus Syracusas eos reduxit atque rerum potitus est, Ol. 73,4=485[4]), Gelam autem Hieroni fratri administrandam mandavit, quum id potissimum intenderet, ut Syracusae ceteris Siciliae urbibus antecellerent. Itaque Camarinaeos omnes, Camarina diruta, Gelensium autem majorem partem Megarensiumque ditiores Syracusas transductos civitate donavit[5]). Nec ita multo post a. 480 Carthaginienses Hamilcare duce[6]) cum classe per triennium exstructa ad Siciliam advecti ad Himeram urbem bina castra posuerunt[7]), ubi a Gelone, a Therone Agrigenti tyranno, quem graviter premerent, auxilio vocato, tanta clade affecti esse dicuntur, ut Hamilcare ipso et ad centum quinquaginta milibus militum caesis ceteri se dedere cogerentur[8]), Gelo autem Syracusas reversus ab omnibus civibus rex proclamaretur[9]). Paucis vero annis post de patria optime meritus, quum septem annos regnasset aqua intercute oppressus 75,3=47$^{8}/_{7}$ mortuus est[10]), et quia filius ad civitatis gubernacula capessenda minor erat, imperium Hieroni fratri tradidit, qui haud minus, ut quam maxime Syracusae augerentur, omnibus viribus enitebatur. Itaque Catanaeos et Naxios, Gelonis agendi rationem secutus, ex urbibus in Leontinos trans-

---

[4]) Cf. Herod. VII, 154 sq. Clint. Fast. Hell. ad a. 485. Aristot. Polit. V, 9, 23.

[5]) Cf. Herod. VII, 155. De Megarensibus cf. Polyaen strat. I, 27, 3 et imprimis Hermann griech. Staatsalterthümer §. 58.

[6]) De diverso huius nominis scribendi ratione cf. Niehues dissert. de Dionysio maiore a. 1856 p. 9 et Wesseling ad Diod. XI, 20.

[7]) Cf. Diod. XI, 20.

[8]) Ut Herodot. VII, 166 memoriae tradidit proelium eodem die commissum est. quo Persae a Graecis Themistocle duce apud Salaminam, secundum autem Diodorum XI, 24 eodem, quo Leonida duce ad Thermopylas fusi ac fugati sunt. Mea quidem sententia pugna neutro die facta est, sed hic dies fictus et Graeco more miri augendi causa inventus esse mihi videtur. Cf. Plass: Tyrannis bei den Griechen I. p. 292; Hense ll. p. 10. Certe errore factum est, ut Steins in dissert. de Hermocrate a. 1868 p. 5 Diodorum dicentem fecerit id, quod ab Herodoto enarratur.

[9]) Cf. Diod. XI, 26. Polyaeni narratio similis est I, 27, 1. Aelian v. h. VI, 11.

[10]) Cf. Plut. de Pyth. orac. 19 p. 403. Wessel. ad Diod. XI, 38. Clint. Fast. Hell. ad a. 478.

duxit easque novis implevit incolis, quorum quinque milia hominum ex Peloponneso totidemque ex Syracusis collegerat Catanaeque nomine abolito Aetnam eam urbem et se Aetnaeum appellari jussit[11]) Ol. 76=476. Quum undecim annos et octo menses regnasset, optime de Syracusana civitate meritus Aetnae mortuus est, Ol. 78,2=46$^7/_6$ [12]) et frater Trasybulus ei successit, qui, quum summa crudelitate regnaret, jam undecim menses post a Siculorum urbibus, unitis viribus ejectus, Locris exsul vitam degit privatam 46$^6/_5$ [13]).

Atque sic libertate parta popularis reipublicae status ad Dionysium majorem usque sexaginta per annos permanebat[14]), quamquam minime quies et ordo redierunt, quum inter veteres incolas et peregrinos, quippe qui ad munera publica non admitterentur, motus ac dissidia coorirentur, quae Ol. 79,4=461 communi decreto sic compositae sunt, ut exsules in pristinas possessiones restituerentur, peregrinis autem omnibus Messaniorum ager incolendus concederetur[15]). Concordia autem vix constitua, paulo post nova agrorum distributione, denuo discissa est[16]). Atque quum eorum, qui novum rerum statum aegre ferebant, dux Tyndarides, qui se plebis excitatae auxilio tyrannidem renovaturum esse speraret, infesti conatus poenas capite solvisset, ne quis postea simile quidquam conaretur, les illa petalismi Atheniensium Ostracissimo non dissimilis institua est, sed paulo post, quum saepius viri optime de republica meriti in exsilium ire cogerentur, abolita est[17]).

Sed quamvis intestinis dissidiis ac factionibus civitas perturbata labefactari videretur, tamen bellis externis non solum ab interitu avocata, quin etiam in dies mirum in modum amplificata

---

[11]) Cf. Diod. XVI, 49. Strabo VI, 2, 3. Pind. Pyth. I, 118, 135 et Boeckh ad Pind. Pyth. 1, 3.

[12]) Cf. Diod. XI, 38, 66 quo loco undecim annos mensibus omissis confirmat. Hense p. 28.

[13]) Cf. Diod. XI, 67 sq. Hense p. 52. Clint. Fast. Hell. in appendix X.

[14]) Cf. Diod. XI, 68.

[15]) Cf. Diod. XI, 76.

[16]) Cf. Diod. XI, 86. Grote III. p. 180 ff. Plass I. p. 203 ff.

[17]) Cf. Diod. XI, 86 sq.

est, ita ut Syracusani jam totam sibi subigere Siciliam intenderent[18]). Quum autem Leontinos, Chalcidicensium coloniam, bello graviter premerent, illi legatis, quorum princeps fuit Gorgias ille[19]), Athenas missis, ab Atheniensibus auxilium petierunt, qui hoc bello, Syracusani si essent oppressi, totius Siciliae sub potestatem suam redigendae occasionem esse datam rati Ol. 88,2 =427 classem Lachete et Charoeade ducibus Leontinis auxilio miserunt[20]). Ac profecto futurum fuisset, ut Sicilia discordiis dissidiisque perturbata Atheniensium tunc fieret, nisi Hermocrates Syracusanus, quum Atheniensium consilia perspexisset, urbibus inter se conjunctis, Siciliam ab interitu revocasset[21]). Itaque Athenienses rebus infectis domum redierunt, quum fore ut ab ipsis, novis discordiis exortis iterum auxilium peteretur, sperarent, id quod re vera iis paulo post a. 415 contigit bello illo atrocissimo, quo splendidissima illa classe sexaginta navium Alcibiade, Nicia, Lamacho ducibus totam insulam in summum vocarunt periculum, sed et Syracusanorum, qui a Spartanis adjuvabantur, virtute et Hermocratis sapientia prorsus devicti interierunt[22]).

Quo bello prospere gesto Syracusis pauperum civium multitudo, utpote novarum rerum cupidissima, civitatis formam in democratiam, quae vocatur, redigere summopere enisa et Dioclis eorum ducis auctoritate Hermocrates relegatus est novaeque leges populari imperio faventes latae sunt[23]). Hermocrates vere a. 408 in Siciliam reversus Selinuntios, Himeraeos, aliosque recepit et Carthaginiensium socios vexare coepit, quum, se patriae salute agentem revocatum iri, putaret. Quod quum etiam Diocle rele-

---

[18]) Cf. Diod. XI, 88—93. XII, 8, 26.

[19]) Cf. Plato „Hipp. maior“ p. 282. Diod. XII, 53.

[20]) Cf. Thucyd. III, 86; V, 4—5. Diod. XII, 54. Justin. IV. 3 qui rem aliter narrat. Steins p. 12 sq.

[21]) Singula, quae commissa sunt proelia vide apud Diod XII, 54. Thucyd. III, 88, 90, 99, 103, 115; IV, 1, 2, 24 sq. Steins pag. 14 sqq.

[22]) Cf. Diod. XIII, 1—33. Thucyd, VI, VII, 1—86. Oros. II, 14. Justin. IV, 5. Plut. Nic. I, 21 sqq. Frontin. II, 9, 7. Dodw. ann. Thucyd. p. 206 sqq. Polyaen. strat. I, 43, 2. Deinde de hac re atque imprimis de diversis, quae exstant sententiis de captivorum numero ac morte Atheniensium ducum cf. Steins p. 23—45. Grote IV, p. 92 ff. Plass Griech. Tyrannis.

[23]) Cf. Diod. XIII, 33—45. Arist. Polit. V, 3, 5.

gato frustra speraret, ab amicis suis impulsus patriam urbem vi capere constituit, sed in conatu cum summa comitum parte obtruncatus est a. 408[24]). Quod quum audivissent Poeni magna cum classe multisque copiis Hannibale et Imilcone ducibus ad Siciliae oram appellentes[25]), statim contra Agrigentum, praeter Syracusas, amplicissimam ditissimamque Siciliae urbem[26]), profecti sunt, sed a Syracusanis, Daphnaeo duce, prorsus superati sine dubio omnes interiissent, si ipse Daphnaeus victoriae institisset nec Imilconi, Hannibale pestilentia correpto, ut castra ad urbem admoveret contigisset; urbs vero ipsa, quamquam ei aliquantulum temporis a Daphnaeo satis commeatus supportabatur, quum naves frumento oneratae a Poenis interciperentur, fame coacta atque a Dexippo Lacedaemonio ipsisque ducibus auro corruptis prodita, post octo mensium obsidionem, ab incolis, qui a Syracusanis recepti sunt Leontinis, deserta capta est hieme a. 406[27]). Atque quum post tantam cladem Syracusis, quo magna hominum multitudo undique confluxit novae seditiones dissidiaque, quod minime mireris, coorirentur ea civitatis conditione, Dionysius Hermocratis filius, sed non illius praeclari imperatoris, quinque demum et viginti annos natus, vir fortis, rei militaris peritus astutusque amicorum ope ad renovandam tyrannidem usus est[28]). Simulatque Dionysius sic tyrannus factus est, primum Hermocratis illius, de quo jam tradidi, filiam in matrimonium duxit[29]) eo consilio, ut ad regnum stabilius confirmandum nobilem affinitate

---

[24]) Cf. Diod. XIII, 63, 75. Inter comites fuit etiam Dionysius maior, qui vulneratus tantum paulo post tyrannidem occupavit.

[25]) Cf. Ephor. apud Diod. XIII, 80. Xenoph. Hellen. I, 5, 21.

[26]) Cf. Diod. XIII, 81—84.

[27]) Cf. Diod. XIII, 84—91. Xenoph. Hellen. I, 2. 37. cf. imprimis Niehues diss. p. 16.

[28]) Cf. Diod. XIII, 91—96. Dionys. Halicarn. ed. Sylburg VII. p. 417. Aristol. Polit. ed. Acad. reg. Boruss. V, 6. Polyaen. strat. V, 2, 2. Aelian v. h. XII, 46. Plut. Dion. c. 3. Xenoph. Hellen. II, 2, 24. Cic. disp. Tusc. V, 20. Gell. noct. att. XVII, 21 p. 412. Tzetz. Chil. VI. v. 233 sqq., quo loco Dionysius falso „*υἱὸς τοῦ Θερμοκράτους*“ appellatur et cum filio Dionysio minore confunditur. Niehues ll. p. 17.

[29]) Cf. Diod. XIII, 96. Plut. Dion. c. 3. Sororem suam Thesten Dionysius Polyxeno collocavit, de qua cf. Plut. Dion. c. 21. Polyaen. strat. V, 2, 4.

domum sibi adstringeret obligaretque. Deinde quum, ut se virum imperio dignum praestaret, Carthaginienses e tota Sicilia ejicere constituisset Gelae urbi, quae ab Imilcone, Agrigento vere a. 405 funditus everso, obsessa tenebatur, auxilio venit, sed post viginti dies frustra consumptos et ipso a Poenis, fuso, haec expeditio eo finita est, ut Gelenses e Selinuntiorum, Himeraeorum Agrigentinorumque exemplo patriam relinquerent. Atque hinc Camarinam profectus ibi quoque cives cum uxoribus et liberis quam celerrime Syracusas migrare coegit[30]). Qua agendi ratione ipsi milites adeo exacerbati sunt, ut Italici socii domum discederent et Syracusanorum equites citato cursu Syracusas festinarent et Dionysii uxorem tam foede crudeliterque tractarent, ut sibimet ipsa conscisceret mortem[31]). Quo audito Dionysius summa ira incensus cum centum dilectis equitibus et sexcentis peditibus, quam maximis itineribus Syracusas properans, quum noctu urbem ingrederetur inimicos necopinatos aut trucidavit aut expulit, ita ut, quum primo diluculo ceterae mercenariorum catervae advenissent atque Gelenses Camarinaeique a Dionysio abalienati Leontinos abiissent equites autem, qui caedem effugerant Aetnam se contulissent[32]) imperium firmius esset, quam antea, praesertim quum etiam Imilco verisimiliter pestilentia illa ingenti, perductus pacem cum eo faceret his conditionibus, ut praeter pristinas Cathaginiensium possessiones Sicani, Selinuntii, Agrigentini, Himeraei in eorum ditione ac potestate essent, Gelensibus et Camarinaeis expulsis in urbes suas, muris dirutis, redire liceret, si Poenis vectigalia solverent; Leontini vero et Messanii omnesque Siculi sui juris essent; Syracusani Dionysio tyranno obedirent. Ol. 93,4=405[33]). Pace facta primum ad ipsius regnum muniendum Ortygiam a cetera urbe sejunxit eamque muro et turribus circumdedit, tum in ipsa insula, ut seditione exorta se recipere posset, Acropolim, quae vocatur, sibi exstruxit incolisque inde expulsis eorum domos amicis donavit, deinde Syracu-

---

[30]) Cf. Diod. XIII, 108—112. Niehues p. 18 sqq.
[31]) Cf. Diod. XIII, 112. Plut. Dion. c. 3.
[32]) Cf. Diod. XIII, 113. Xenoph. Hell. II, 3, 5.
[33]) Cf. Diod. XIII, 114.

sanorum agros ac domos distribuit, ita ut agri optimam partem familiaribus ac militum praefectis, reliquos vero agros ac domos ex aequa parte libertinis, peregrinis sociis civibusque traderet[34]). Quo factum esse mihi videtur, ut, quum Herbensium urbem obsideret, Syracusis tam vehemens seditio exoriretur, ut Dionysius quam celerrime Syracusas reversus, terra marique obsessus, jam de dominatione desperaret; sed tyranni prudentia seditiosorumque minore constantia seditio illa bene composita est[35]). Atque paulo post pristinum regni fines proferendi consilium denuo capiens primum Aetna, exsulum refugio, diruta ejusque loco Adrano condito, ad Catanam et Naxum arma tulit, deinde illis urbibus proditione captis eorumque civibus Syracusis sub hasta venditis[36]), quoniam, foedere cum Poenis icto, quominus plures faceret expugnationes, impediebatur, contra eos summopere bellum parare coepit. Postquam Epipolas moenibus ac turribus munivit[37]), optimis quibusque artificibus arcessitis, cuiuscunque generis arma telaque fabricari atque, navibus veteribus renovatis, ducentas novas quadriremes et quinqueremes ab eo inventas[38]) exstrui et catapultas illas, quas idem invenisse dicitur confici jussit[39]).

Sic bene instructus, quum urbes gravissimas Messanam Rhegiumque foedere secum conjungere studeret, illam quidem beneficiis sibi conciliavit, sed a Rheginis, quum conjugem peteret, repudiatus Doridem quandam Locrensem Xeneti filiam eodemque die etiam Syracusanam Aristomachen conjuges duxit. Ol. 95,3 = 398[40]). Paucis diebus post nuptias celebratas splendidissimo

---

[34]) Cf. Diod. XIV, 7.

[35]) Cf. Diod. XIV, 8, 9; XX, 78, Niehues p. 25. Grote: Geschichte Griechenlands V, 679.

[36]) Cf. Diod. XIV, 15.

[37]) Cf. Diod. XIV, 18.

[38]) Cf. Thucyd. I, 13. Diod. XIV, 41. De quinqueremi vide apud Herod. VI, 87.

[39]) Cf. Diod. XIV; 42, 43. Plut. praec. reip. ger. II. p. 261. Imprimis Niehues p. 29 sqq.

[40]) Cf. Diod. XIV, 44. Plut. Timol. c. 6, Dion c. 3 Aelian v. h. XIII, 10. Ex his conjugibus, quas semper, mirabile dictu, pari amore amplexus est — Ael. v. h. XIII, 10 — septem liberi nati sunt. Ex Doride duos filios, Dionysium II et Apollocratem et unam filiam Dicaeosynen habuit, quae Leptini

cum exercitu vere a. 397 in Motyen impetum fecit, quae urbs terra marique obsessa post summam virtutem occupata est. Atque magna civium clade facta Dionysius Syracusas rediit[41]). Qua de re certiores facti Poeni vere a. 396 quam maximis copiis conscriptis ac summa classe exstructa, quos Dionysius priori anno assecutus erat successus irritos reddiderunt, quum, Eryce Motyeque facile recuperatis Messanaque urbe capta ac diruta, castra in Dionysium, cuius exercitus Sicanorum Siculorumque defectione valde deminutus servisque manumissis suppletus primum ad Taurum montem deinde ad Catanam castra posuit, moverent eumque summa clade affectum Syracusasque festinantem, agris devastatis, terra marique obsessum tenerent. Sed quum urbem propter amplitudinem arctissime includere non possent Syracusanisque satis commeatus atque auxilium supportari posset, cives animis erectis crebris eruptionibus hostem aggressi, praesertim quum et aestatis ardore et imprimis variis hominibus undique congregatis in Poenorum castris dira pestilentia exoriretur, Imilconem terra marique profligatum ac fusum eo adduxerunt, ut, sociis belli perfide desertis, cum civibus Carthaginiensibus trecentis talentis ignominiose reditum emeret. Ol. 96,2=395 [42]).

Quo periculo propulsato Dionysius decem milibus mercenariorum urbem agrosque Leontinorum, quos Syracusas transmigrare coegerat, distribuit, Messanam inter Locrenses, Medimnaeos? Messeniosque a Spartiatibus Naupacto et Zacyntho expulsos divisit, alias urbes, quae a Poenorum parte stetissent, expugnavit, cum aliis foedus iniit, donec ipsi cum Magone Poenorum duce, qui auctoritatem deminutam redintegrare enitebatur Ol. 97,1=392 foedus ferire placuit

---

fratri nupsisse videtur. Aristomache diu infecunda fuit, quam ob causam alterius conjugis matrem, quo crudelius nihil, interfici jussit, dictitans ab ea esse Aristomachen fascinatam. Quae vero postea duos filios Nysaeum et Hipparinum duasque filias genuit, quarum Sophrosynen Dionysius II, Areten autem Thearidas tyranni frater eoque mortuo Dion in matrimonium duxerunt. cf. Plut. Alex. fort. II. c. 5. Diod. XV, 7; XVI, 5—6. Plut. Dion c. 6, 21. Corn. Nep. Dion. c. 1. Athen. p. 433—434. Suidas s. v. *Δίων*.

41) Cf. Diod. XIV, 45—53. Polyaen strat. V, 2, 6.

42) Cf. Diod. XIV, 56—75 cf. imprimis Niehues p. 37—44, qui hanc rem diserte ac fusius conscripsit.

ea conditione, ut Siculi Dionysio essent subjecti et Poeni, quidquid ante bellum habuissent, retinerent[43]).

Qua pace facta, quum Dionysius Rhegium Italiae propugnaculum, quod jam 303 oppugnare frustra conatus esset, diversis causis commotus[44]) denuo a. 390 invaderet, a Rheginis Italorumque sociis magna clade accepta vix captivitatem effugit hostium et, cum Lucanis foedere facto, domum rediit. Quum autem audivisset etiam Lucanos cum Italis societatem iniisse cum omnibus fere copiis in Italiam tendens Cauloniam obsedit. Atque, Heloride Italorum unitorum duce in itinere ad Cauloniae obsidionem solvendam ad flumen Elloporum[45]) improviso oppresso, cum Rheginis petentibus pacem fecit eo pacto, ut, omnibus navibus—septuaginta—traditis centumque obsidibus datis, trecenta solverent talenta. Quum deinde Cauloniam occupatam funditus evertisset, agros Locrensibus donavit cives autem Syracusas abduxit. Ol. 97,4=389[46]). Atque quum postero anno idem Hipponii agris civibusque accidisset, Dionysius, pace ignominiose dirupta, iterum ad Rhegium arma tulit eamque per undecim menses terra marique inclusam summaque rerum inopia ad internecionem perductam expugnavit expugnatamque diruit, cives autem superstites Syracusis sub hasta vendidit praeter eos, qui libertatis retinendae causa minam solvere potuerunt a. 387; et hoc propugnaculo capto regni fines ad Crotoniatas ipsos usque protulit[47]).

Sequitur inde ab illo tempore imperium magis tranquillum et quietum. Sed quo tempore regnandi eius cupiditas non in

---

[43]) Cf. Diod XIV, 78, 87, 88, 90, 95, 96. De singulis, quae commissa sunt proeliis cf. Niehues p. 45 sqq.

[44]) Ex quibus causis cf. Niehues p. 48.

[45]) Cf. Diod. XIV, 100—104. Polyb. I, 6. Aeneae Piliorc. c. 11 in Polyb. tom. III ed. Casaub.

[46]) Cf. Diod. XIV, 105—106. Eodem anno etiam Plato, quum Aetnam montem invisisset a Dione, qui summo cum studio in Platonis philosophiam incumbebat, Dionysii venia arcessitus Syracusas venit; sed quum liberius diceret vix mortem effugit. Cf. Plut. Dion c. 4—5. Plato ep. VII. Diog. Laert. III, 1, 14. Cornel. Nep. Dion c. 2. Athen. XI. p. 507. Tzetz. Chil. X. v. 870 sqq. V, 148. Bardili ad Cornel. Nepot. Dion c. 2. Corsini Fast. Attic. III. p. 304.

[47]) Cf. Diod. XIV, 107—112. Justin XX, 5.

perpetuo turbulentissimoque acquiescebat bello, eo ipso morum eius corruptionem cerni licet, qua praecipue ratione factum est, ut posterum odium et contemptionem in se converteret. Suspicio, duritia, crudelitas magis in dies magisque augebatur; ut in bello summus imperator, sic etiam in pace, minime rationem habens juris aliorum, quod praeter suum nullo modo comprobavit regnabat, quum sua ipsius magnitudine super modum elatus et ea non comprobata facile et inexpiabiliter esset offensus. Quapropter amicissimos eius Leptinem, Philistum[48]), ut exemplum afferam, quamquam natura ad amicitiam valde erat propensus[49]), in exsilium misit, quod gratiam potius appellaverim, quum soleret minimum delictum capite punire.

Ipse liberalium artium tutor ac fautor[50]), ipse poeta[51]), qui litteris ingenuis excellebant, in aulam suam arcessere studebat, dummodo cum eo vitam degere potuissent[52]).

Nam perfidus, infidelis, impius, avarus per inanes cupiditates suas ad omnem violentiam agitabatur[53]). Quo magis confidentia in amicos, quin etiam in suam ipsius familiam labefactabatur, eo magis crescebat suspicio[54]), eo saepius utebatur delato-

---

[48]) Cf. Diod. XV, 7. Leptines, qui in Italiam ad Thurios effugerat paulo post in pristinum benevolentiae dignitatisque locum restitutus est, Philistus autem Dionysio demum mortuo rediit. Cf. infra pag. 24.

[49]) Cf. Val. Max. IV, 7. Cic. de off. III, 10, disp. Tusc. V, 22. Polyaen strat. V, 2, 21.

[50]) Cf. Aelian v. h. XI, 11. Suidas s. v. *Διονύσιος*.

[51]) Cf. Aelian v. h. XIII, 18. Suidas ll. Athen. IX, 401. Stob. Flor. 105, 2 ubi fragmenta leguntur. Tzetz. Chil. V, 180. Cic. disp. Tusc. V, 22. Ammian. Marcell. XV, 5. Lucian ed. Jacobitz: de lapsu inter salut. 4 p. 447 et adv. indoct. c. 15 ubi iterum fragmentum invenies. Athen. III. c. 54.

[52]) Philoxenus ille dithyrambicus, quum tyranni carmina vituperaret in latumias missus est. Cf. Plut. Alex. fortit. II. c. 1. Tzetz. Chil. V, 159 sqq. X, 844 sqq. Aelian v. h. XII, 44. Lucian adv. indoct. c. 15. Suid. s. v. *Φιλόξενος*. Phanias apud Athen. VI, 6. Ammian. Marcell. XV, 5, 37. Plato mortem vix effugit. Antiphon quidam os liberum morte luit. Cf. Plut. de adult. c. 27. Polyxenus fuga evasit. Cf. Plut. Dion c. 21 et alii.

[53]) Crudelitates Dionysii omnes enumerare longum est cf. Corn. Nep. de Regg. 2. Diod. XIV, 65—69; XV, 7. Plut. Timol. c. 6; Dion c. 3. Aelian v. h. XIII, 45, 34. Plut. Alex, fort. II, 5. Cic. disp. Tusc. V, 20. Niehues p. 67, qui hanc rem accuratius descripsit.

[54]) Cf. Plut. Dion c. 9. Diod. XIV, 2; XX, 63. Cic. disp. Tusc. V,

ribus, qui omni modo rationem libere et agitandi et agendi opprimerent, eo magis mercenariis sese dedebat[55]). Quum hunc ad finem et ad bella paranda et ad magnifica aedificia magnis egeret pecuniis, cives vectigalibus premebantur[56]), dii ipsi eorumque templa variis adhibitis malis dolis artibusque spoliabantur[57]). Ita factum est, ut regnandi cupiditate ille vir, natura eximio exornatus ingenio, qui re vera populi sui pater ac parens fieri potuit, omnia studia atque eventus omnino memoriam impietatis signo signarit.

Sed jam satis de eius moribus dictum puto, redeam ad eius regnandi industriam. Quum in Italia et Illyria novas condidisset urbes, Syracusas autem longissimis muris circumdedisset omnique modo urbem ad summum splendoris fastigium perducere studeret, pecunia defficiente, a. 384 iter suscepit contra Etruscos piratas, unde, Leucotheae fano direpto, Syracusas immensos thesauros reduxit, quibus fretus Poenos prorsus e Sicilia ejiciendi consilium cepit[58]). In proelio ad Cabala commisso a. 383 Poeni fusi, ipso Magone duce caeso, pacem petiverunt; sed quum Dionysius, ut e tota Sicilia decederent postularet, illi Magonis filio duce eum ad Cronium aggressi, Leptine fratre obtruncato, tanta affecerunt clade, ut pax fieret ea conditione, ut utrique, quae prius habuissent, retinerent, Selinuntiorum autem urbs et agri Agrigentique fines ad Halycum usque flumen sub Poenorum esset ditione, mille insuper talenta Dionysius solveret[59]).

---

20 sq. Val. Max. IX, 13. Plato epist. VII. 332 D. Cic. de offic. II, 7. Philo Jud. ed. Mang. II, p. 639.

[55]) Cf. Diod. XIV, 9, 15, 48, 75. Xenoph. Hell. VII, 1, 20. Val. Max. IX, 13. Cic. disp. Tusc. V, 22.

[56]) Cf. Aristot. Pol. V, 9. 5. Justin XXI, 1. Aristot. Oecon. II, 21, 22. Plut. Apophth. c. 5.

[57]) Cf. Aelian v. h. I, 20. Polyaen strat. V, 2, 18. Lact. divin. inst. II, 4 p. 127 ed. Dufresn. Cic. de nat. Deor. III, 34. Val. Max. I, 1, 20 extr. 3. Athen. XV. p. 693. Aristot. Oecon. II. Strabo V, 2, 8.

[58]) Cf. Diod. XV, 13—14. Aelian v. h. I, 20. Polyaen strat. V, 2, 21. Aristot. Oecon. 21. et Strabo V, 4, 2; V, 2.

[59]) Cf. Diod. XV, 15—17. Comment. Aeneae Poliorc. ed. Casaub. c. 11. Aelian v. h. XIII, 45, quem falso confirmasse Leptinem non invito Dionysio et in proelio navali cecidisse Niehues p. 68 demonstravit.

Atque quum nonnullis annis post Spartani ab Atheniensibus et Thebanis graviter premerentur iis, quum jam antea post proelium apud Cnidum viginti naves auxilio misisset[60]), a. 373 iterum decem naves et paulo post, quum eorum vires pugna apud Leuctra facta fractae essent, duo milia Gallorum Hispanorumque iisdem auxilio misit denique a. 368, quo anno etiam bellum contra Poenos iterum exarsit iis subsidium supportavit[61]). Quum enim Dionysius audivisset, Carthaginem ingenti pestilentia periculosisque seditionibus agitari, profectus, Selino, Entella, Eryce urbibus captis, Lilybaeum obsidebat, sed Poenorum dolo maxima classis parte amissa et, quum hiems jam instaret, indutiis cum iis factis, priusquam bellum ad finem perducere posset morte decessit. Nam quum tragoediae — *Ἕκτορος λύτρα* — victoria Athenis reportata summo gaudio affectus epulis ac vino nimis indulgeret, aetate jam provectus incidit in gravem morbum. Atque quum Dion, qui eius intimus fuit, cf. Plut. Dion c. 5, 6. Corn. Nep. Dion c. 1, 2, de sororis Aristomaches liberis colloquium a medicis peteret, tyranni filius Dionysius minor, de quo accuratius disserere nobis proposuimus, ne regno privaretur, timens, eis persuasit, ut patri soporem mortiferum darent, quo e vita decessit Ol. 103,1 = 367 anno aetatis sexagesimo tertio, postquam duodequadraginta annos regnavit[62]).

---

60) Cf. Xenoph. Hellen. V, 1, 26.

61) Cf. Xenoph. Hell. VI, 2, 36; VII, 1, 20, 22, 28. Diod XV, 47, 70.

62) Cf. Diod. XV, 73—74. Plin. h. n. VII, 3. Corn.. Nep. Dion. c. 2. Plut. Dion. c. 6. Justin XX, 5. Deinde cf. de diversis, quae exstant de Dionysii morte, sententiis Niehues p. 76. Cf. etiam Eph. fragm. 141 a ed. Didot. Polyb. XII, 4 a. Cic. disp, Tusc. V, 20. Clinton Fast. Hell. ad a. 367.

Pars altera.

Qualis fuerit Dionysius minor ad id usque tempus, quo a Dione expulsus est.

Caput I.

De Dionysii minoris moribus ac rebus gestis usque ad Dionem ab eo relegatum.

Dionysio maiore mortuo Dionysius minor filius circiter undetriginta annos natus ad rem publicam gubernandam accessit[1]), velutsi Syracusarum imperium esset regnum legitimum, quod alius post alium tanquam hereditate acciperet. Adeo pater imperium confirmaverat ac stabiliverat. Dionysius vero minor juvenis fuit, quum magni ingenii, tum, quamquam patris virtutibus longe superabatur, natura praeditus haud sane exigua recte percipiendi facultate, eloquentia mirabili, animo denique miti et ad

---

[1]) Quot annos natus fuerit Dionysius, quo tempore imperium accepit haud plane constat. Scimus vero Dionysium maiorem cf. supra p. 10, a 398 uno eodemque die Aristomachen et Doridem uxores simul in matrimonium duxisse Dionysiumque minorem natu maximum Doridis uxoris esse. Atque quum a nullo auctore traditum sit, ante Dionysium minorem liberos esse mortuos, vel Doridem, quod quidem distinctis verbis de altera eius uxore Aristomache refertur, per aliquantum temporis fuisse infecundam, sine dubio statuere nobis licet, Dionysium vix post annum 396 natum esse potuisse, ita ut, quum ad regnum accederet 28—29 annos natus esset. Porro Dionysio minori a. 356 expulso filius erat nomine Apollocrates, cui maximo natu Ortygiam insulam defendendam tradidit cf. Plut. Dion. c. 37, 50. Strabo V, 1, 8.. Iam vero si consideraverimus rerum tunc conditionem, gravitatem muneris illi commissi non possumus non inde colligere Apollocratem septendecim fere annos habuisse ita ut ad minus a. 373 natus esse videatur. Quodsi Aristomachen per multos annos sterilem fuisse constat Dionysiumque minorem Aristomaches filiam Sophrosynen in matrimonium duxisse, hoc non ante annum Dionysii aetatis vigesimum alterum factum esse verisimile est, id quod novum etiam sententiae propositae testimonium recte putaveris.

rem quamque magnam ac praeclaram facili[2]), sed propositorum tenax non fuit, vita moribusque insolens, sensu mutabili, laudis avidissimus, quam tamem sua opera nullo modo assequi potuit, quippe qui ad illud tempus gravioribus studiis ac laboribus non satis nec implicitus, nec exercitus fuisset; nam vitam in Ortygia degerat. Pater enim eius, suspiciosus ut erat, illum veritus, ne consuetudine hominum usus adultusque regnum peteret ac semet ipsum dominatu spoliaret, ab ineunte aetate ab omnibus publicis negotiis retinuit atque in conclave inclusit, quo mirabile auditu celeberrimi Syracusarum tyranni successor parva plaustra, candelabra, sedes ligneas et mensas fabricasse dicitur[3]). Itaque minime mirandum puto, quod, quum omnium rerum imperitus tanti regni gubernacula capesseret, imperium magis in dies magisque in exitium ruere videbatur. Tyrannus enim mortuus imperium munitum quadringentis longis navibus, centum peditum, decem equitum milibus hereditate filio reliquit[4]), Deinde urbem possidebat Siciliae magnificentissimam, opulentissimam altissimisque moenibus circumdatam, arces insuper egregie munitas atque inaccessabiles, instrumenta aliis quingentis navibus parata; magnam autem frumenti copiam usque ad centum medim-

---

[2]) Cf. Plato ep. VII. p. 338 E; p. 330 A; p, 328 B; ep. III. p. 317 E; p. 326 C. ed. Ast.

[3]) Cf. Plut. Dion. c. 9. Hoc loco Plutarchum secutus sum, quamquam vix credere possum Dionysium maiorem virum et reipublicae et rei militaris peritissimum, qui Syracusanorum civitatem ad summum splendoris fastigium evexit, atque per continuos duodequadraginta annos imperium tenebat, filium timore ductum domo inclusum tenuisse. Equidem multa de Dionysio tyranno tradita fabulosa esse censeo.

[4]) Cf. Aelian v. h. VI, 12 ed. Müller et Dübn, quo loco *τετρακοσίας ἑξήρεις καὶ πεντήρεις* memorantur, quod cum Scheffero in *πεντήρεις καὶ τετρήρεις* emendandum esse puto, quum a nullo alio scriptore ad id usque tempus *ἑξήρεις* traditas inveniam atque apud Diod. XIV, 42 quinqueremes ipsas a Dionysii minoris patre demum circa a. 398 esse inventas tradatur; apud Herod. VI, 87 autem iam Atheniensium quinqueremis memoratur *Ἑξήρεις* autem in bello punico altero commemorantur cf. Liv. XXIX, 9. Corn. Nep. Dion c. 5 verisimiliter a librariorum errore quingentas naves confirmat, quum Diod. XVI, 9. Plut. Dion. c. 14 et Aelian v. h. VI, 12 *τετρακοσίας* tantum enumerant. Cf. etiam Val. Max. IV, 9 extr. 6. Imprimis cf. Schoemann opusc. I. p. 311 sq.

norum myriades, armamentarium catapultis[5]), thoracibus, clipeis, pugionibus, galeis, quid quod armis et telis cuiuscunque generis et ex vario structurae genere elaboratis, refertum, ita ut neminem ei resistere potuisse credideris. Quibus rebus praemissis jam transeamus ad res singulas ab eo gestas.

Simulatque Dionysius minor patri successit, concione advocata, adhortatus est populum, ut quam patri, etiam sibi praestarent benevolentiam, ad quam conciliandam nexorum ad tria milia carceres relinquere jubet tributaque populo per triennium remittit, et quibuscunque delenimentis potest, allicit omnium animos[6]). Paterno funeri omnia justa solvit tanta pompa ac splendore ut rogus et sepulcri monumentum ebore, auro purpuraque ad portas, quae vocantur, regias in insula[7]) exstructum conditori Timaeo cuidam aeternam vindicarent gloriam[8]).

Quo peracto Dionysius ad res gerendas ineptus, ut bellum cum Poenis, quod a patre a. 368 excitatum quasi hereditarium accepit, animique ut erat pacifici, ad finem perduceret amicorum conventum convocavit. Hoc vero bellum per duos sequentes quidem annos licet non insigni labore perductum esse puto, quamquam Diod. XVI, 6 cum Poenis pacem factam esse dicit. cf. infra p. 31. Paulo post cum Lucanis quoque bellum exarsit, quod, postquam aliquamdiu summa cum negligentia gestum est, quamvis postremo e proeliis nonnullis superior evaderet, pacis conditiones percupide amplexus, finivit. Sed ne praetermittam insigne illud opus omnique laude dignum memorandum esse equidem censeo, ipsum eodem tempore et quidem verisimiliter in

---

5) Aelian ll. falso confirmat: „*ὁ δὲ καταπέλτης εὕρημα ἦν αὐτοῦ Διονυσίου*“ (sc. *δευτέρου*) quum artem catapultariam Dionysio maiore regnante inventam vel ut melius dicam emendatam atque excultam esse, constet. cf. supra p. 10.

6) Cf. Diod. XV. 74. Justin XXI, 1.

7) Sic enim verto *κατὰ τὴν ἀκρόπολιν πρὸς ταῖς βασιλίσι καλουμέναις πύλαις;* nam quia arx sive „*ἀκρόπολις*“ potior totius insulae pars fuit, nomen regiae pro tota insula positum est. Regiae autem portae sunt eae, quibus Achradina separatur ab insula sive Ortygia cf. etiam Cluv. Sic. ant. I. p. 156.

8) Diod. XV, 73. Plut. Pelop. c. 34. Athen. V, 40. Rhet. Graec. I. p. 164. Philist. fragm. 42 ed. Didot.

expeditione contra Lucanos in Apulia condidisse duas urbes[9]), ut mercatoribus Jonium mare pernavigantibus tutum praestaret transitum, quum barbari litora maritima accolentes, mare Adriaticum omnino redderent infestum. Ol. 103,2 = altera anni 367 parte.

Jam vero res, quae ad interiora regni spectabant, multo prosperiore statu erant, quam Dionysio maiore regnante, quum omnes civitatis vires non ad bella externa gerenda cousumerentur, vectigalia non jam quo antea modo cives premerent, omnino pacis artes magis in dies magisque colerentur. Omnibus autem in rebus agendis duae potentissimae partes de principatu certabant, quarum alteri Dion, Dionysii avunculus ac gener praefuit vir, ut jam supra memoravimus, eximia fortitudine reique militaris peritissimus, patriae amore et artibus ingenuis imbutus, discipulus simul et amicissimus Platonis, cuius usu ac consuetudine edoctus apud nobilissimam civium partem summa fruebatur auctoritate, quin etiam a Dionysio maiore, cui in eis, quae ad rem publicam pertinebant rebus, consilio nunquam deerat, summo amore dilectus[10]). Quem quidem omnes secuti sunt, qui imperium mite et justum restitutum vellent, ne dicam de illis, qui libertatis pristinae meminissent, aut in quibus propter odiosam, qua tunc premebantur, tyrannidem dulcissime memoria libertatis illius revivisceret. Altera pars huic opposita eorum fuit hominum, qui tyrannum ad voluptates impulerunt, ut, hac vitae ratione enervante regis viribus fractis, ipsi ad libitum suum dominari possent. In dies, ut ipsis verbis Plutarchi in Dione c. 7 utar, amores aliquos atque ignavas occupationes ei in poculis, lustris aliisque turpibus ludis offerebant, aulam interea bonis viris

---

[9]) Quod a Grotio VI p. 54 sine causa in dubium vocatur; nam ut omittam Dionysium, ut supra dixi, natura insigni praeditum fuisse ingenio et Diod. XVI, 5 diserte nobis tradidisse, has duas urbes ab eo esse conditas, omnes in eo consentiunt auctores in Dionem illum, qui et virtute et rei militaris scientia, initio Dionysii minoris imperii summam rerum fuisse delatam et quasi reipublicae gubernacula illius loco tenuisse, ita ut Dionysii imperitia satis esset completa Dionis sapientia.

[10]) De indole ac moribus Dionis cf. Plut. Dion c. 2, 4, 5, 6, 8. Corn. Nep. Dion c. 1, 2. Diod. XVI, 6. Aelian v. h. III, 4; IV, 21. Plut: Maxime cum princip. c. 1 p. 117. Synesii sermo ad Paeon. p. 308 A et saepissime in Platonis epistolis.

sermonibusque honestis inaccessam et clausam crapulae, joci, cantus, tripudia aliaque licentia tenuere. Diu factiones de prin ipatu ancipite fortuna dimicabant. Summo studio ac labore Dion enisus est, ut tyrannum ab ea vivendi ratione revocaret, quam vitiorum socii optimam laudabant, ignominiosum et turpe esse dicens regem, quum corpus pretioso ornaret amictu aediumque parietes aureis obduceret vestibus, animum ignavia, luxu, avaritia omnibusque voluptatibus iisque foedissimis polluere[11]. In legendis Platonis scriptis libenter Dion versabatur, qui adeo eum cepit, ut fere plane eum recitare aut referre posset. Sed etiam id sibi proposuerat Dion, ut simulatque Syracusanis libertatem reddidisset et moderatum ac legitimum principatum constituisset Dionysium et semet ipsum et ceteros Syracusanos omnes felices redditurum esse ostenderet[12]. Quod quum eo melius efficere se posse sibi persuaderet, si Platonis auxilium sibi suppeditaret, tam miro philosophiae ardore ipsiusque Platonis studio et amore Dionysium inflammavit, ut tyrannus ipse litteris Athenas missis Platonem rogaret atque obsecraret, ut quam posset celerrime Syracusas veniret[13]. Hac vero victoria sine ullo dubio Dion nullam unquam sibi parere potuit maiorem. Sed his ipsis temporibus tyranno adulatores persuaserunt, ut Philistus, vir acri ingenio, litteris imbutus, Dionysii aliorumque tyrannidi summo studio favens, qui a Dionysio maiore relegatus Adriam perfugit ibique historiam suam maxima ex parte composuit, Syracusas ab exsilio revocaretur, ut haberent, quem Platoni et philosophiae objicerent[14]. Plato ab ipso Dione ac Pythagoreis amicis crebris epistolis expetitus iterum in Siciliam venit[15]. Ol. 103,2 = 367. Quum ad Syra-

---

[11]) Cf. Plut. Dion c. 10.

[12]) Cf. Plut. Dion. c. 11—12. Platon. ep. VII. p, 327 C.

[13]) Cf. Plut. Dion. c. 11. Aelian v. h. IV, 18.

[14]) Cf. Plut. ll. Cornel. Nep. Dion c. 3. Suidas s. v. *Φίλιστος ἤ Φίλισκος* Imprimis Grote VI. p. 55.

[15]) Chronologia, si hoc vocabulo uti licet, huius atque quod proxime accedit temporis difficillima est, quum fontes, e quibus nobis ea haurienda est, tantum perpauca eaque perturbata tradiderint, quare nihil certi habemus. Constat Dionysium maiorem paulo post Lenaea Ol, 103, 1 = 367 in quibus victor proclamatus erat, quaeque in Januarium vel Februarium incidunt, ergo vix ante mensem Martium esse mortuum Dionysiumque

cusas applicuisset, Dionysius triremem ornatu regio instructam adventanti obviam misit; egressum vero triremi et in currum cum albis quadrigis impositum Dionysius rex ipse aurigam agens summa cum pompa summoque splendore ad regiam deduxit, ita ut vir Syracusanus haud ignobilis exclamasse dicatur:

Μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ δεινὸν γὰρ ἄγεν βροτὸν ἄνδρα τ' ἄριστον[16]).

Dionysius autem tamquam numen aliquod Syracusas adventasset sacrificia celebrare, convivia honesta indicere atque in omnes benignitatem ostendere coepit. Plato Dionysium invenit juvenem animo nondum prorsus corruptum sed ad ingenuas praeclarasque res facilem; atque etiamtum apud eum laudes de tyranno legi possunt. Tota re vera domus regia permutata est, ablatis voluptatibus et ludis, pudore ac disciplinis restitutis, quin etiam

---

filium nullo resistente successisse. Quum vero, quae nobis scriptores prodiderunt, accurate perlegeris, tibi persuasum habebis, Platonem paulo post, quum Dionysius posterior regnum adeptus esset, secundum Syracusas iter fecisse. Cf. Corn. Nep. Dion. c. 3. Plato ep. III. p. 316 C. VII. 327 D. Diog. Laert. III, 15. Euseb. chronic. p. 112. Aelian v. h, IV, 18. Hegesand. ap. Athen. XI. p. 116. Plut. Dion c. 13. Itaque Platonis alterum Syracusis adventum in aetate a. 367 = Ol. 103, 2 ponendum esse censeo. Cf. Clint. Fast. Hell. ad. a. 367 et annot. Barthel. ad voyage d'Anach. chap. 33, qui ergo falso Platonem a. 364 demum iterum Syracusas reversum vult, dictitans: Et comme il paraît par les lettres de Platon qu'il ne s'est écoulé que deux ou trois ans entre la fin de son second voyage et le commencement du troisième, on peut placer le second à l'an 364 avant J. Chr. quod etiam inde sequitur, quod Dionem, qui post Platonis Syracusis adventum expulsus est, a. 366 iam in Peloponneso versatum esse constat. Cf. infra p. 29 ann. 25.

[16]) Cf. Aelian v. h. IV, 18. Plut. Dion. c. 13. Cf. deinde Corn. Nep. Dion c. 2. Solin p. 32, 6, qui quaecunque tradiderit e Plinio hausit, atque Plin. h. n. VII. c. 30, qui hanc ambitiosam deductionem ad Dionysium maiorem referunt. De pompa adhibita autem in Platonis adventu ad Dionysium maiorem nec Plato, Diog. Laert, Plut., Aelian, nec alius quisquam, quantum sciam, aliquid tradidit, sed tantum a Dionysio maiore arcessitum, Dione orante, Platonem Syracusas venisse. In eo vero consentiunt auctores ceteri, Dionysium minorem primo, Dione persuadente, dein sponte et litteris et precibus Platonem Syracusas advocasse, advocatum splendide excepisse, quare censeo ab illis scriptoribus sententias esse confusas et filio tribuendum esse, quod patri tribuitur.

adulatores sapientiae nimbo se circumdederunt. Omnes erant philosophiae ac disciplinae ardore imbuti, et geometricis figuris, quas describebant Platonis discipuli, plena erat arx regia, cf. Plut. Dion c. 13, et apud Siculas sperari coeptum est tempora fore feliciora, praesertim quum civitas a Dione magis quam a Dionysio administraretur. Dionysius autem magno in Platonem amore inflammatus ei prorsus se dedit ac Plato paulo post tantum apud eum valuit auctoritate atque eloquentia, ut jam in animo haberet tyrannus imperio se abdicare Syracusanisque libertatem reddere. Quid quod non ita multo post Platonis adventum, quum solemne sacrificium in arce fieret praecoque ut consueverat, perpetuum Dionysio dominatum precaretur, Dionysius exclamasse fertur; „Desine, inquit, exsecranda nobis imprecari"[17]). Quid mirum, quod altera factio, cuius dux Philistus, ut auctoritatem deminutam redintegrarent, quum insuperabilem quasi Platonis Dionisque auctoritatem atque Dionysii mentem mutatam viderent, Platonem eiusque praesentiam regno pericolosam asserebant. Per unum dictitabant sophistam civitatem illam, quae ingentes et navales et terrestres Atheniensium copias oppressisset dirui[18]). Contra Dionem autem calumnias et criminationes ad tyrannum deferre non cessabant, velutsi dominatum ad Aristomaches sororis liberos transferre, vel ipse Platonis opera tyrannide eversa popularique imperio reducto reipublicae principatum capessere cuperet[19]). Imprimis vero vitae degendae dissimilitudine usi sunt, ut Dionysium in eum exacerbarent. Nam quum Dionysius natura jam ab ineunte aetate levem haberet animum libidinibusque cuiusque generis indulgeret, fuit Dion gravi ac austera natura, moroso ac paene insociabili animo, qui ad nullam se relaxavit hilaritatem, quam ob causam a Platone ipso vituperatus est. Gravitatem et austeritatem illi arrogantiam ac superbiam appellaverunt, loquendi libertatem pervicaciam omnesque eius virtutes in contraria vitia vertere studebant. Sic Dionysius magis in dies magisque suspectus factus, ne quis tyrannidem destruere conaretur veritus, ad detestabilia conversus est facinora. Atque quum non

---

17) Cf. Plut. Dion. c. 13. Corn. Nep. Dion c. 3.

18) Cf. Plut. Dion c. 13, 14.

19) Cf. Diod. XVI, 6. Plut. Dion c. 7, 14.

solum fratrum cognatos verum etiam fratres ipsos[20]), tamquam imperii aemulos interfecisset, incidit eius odium in Dionem ipsum, a quo se ingenio, auctoritate populique amore superari vidit, quemque a Philisto incitatus imprimis ad tyrannidem evertendam peridoneum putavit[21]), Quod odium, quaeque suspicio valde augebatur, quum ad Dionysium clam epistola quaedam a Dione ad Poenorum magistratum scripta deferretur, monens ne de pace[22]) cum Dionysio nisi se praesente ageret[23]). Quam quum Dionysius re-

---

[20]) Ut supra pag. 10 diximus, in quo et omnes uno ore consentiunt scriptores, Dionysio maiore septem tantum erant liberi, ex Aristomache quidem filii duo Nysaeus et Hipparinus filiaeque duae Sophrosyne et Arete, e Doride duo filii Dionysius minor et Apollocrates et una filia Dicaeosyne. Iam invenimus autem Boeckhium: „corpus inscript." inscriptionem quandam I. pag. 898, qua continetur:

. . . . ΟΤΙΔΟΚΕΙΤΩΙΒΟΥΛ . . . . . .
ΑΙΜΕΝΔΙΟΝΥΣΙΟΝΕΟ . ΣΙΚΕΛ . . . .
ΑΚ . . ΤΟΥΣΥΕ . ΣΤΟΥΣ . ΙΟΝ . . . . .
ΣΙΟ . ΚΑΙΕΡΜΟΚΡΙΤΟΝΟΤΙΕΙ . . . . quaeque hunc in modum completa est.
. . . . *ὅτι δοκεῖ τ(ῇ) βουλ(ῇ), ἐπαινέσ-*
αι μὲν Διονύσιον (τ) ὀ (ν) Σικελ(ίας) βασιλέ-
α καὶ τοῦς ὑε(ἶ)ς τοὺς (Δ) ιον(υσίου) Διονύ-
σιο(ν) καὶ Ἑρμόκριτον, ὅτι εἰ(σὶ) καλοὶ καὶ . . , . . , ita ut, si hanc inscriptionem, cuius tamen fides ipsi Boeckhio valde suspecta videbatur sequeremur, Dionysius maior non septem sed octo liberos procreasset, et hac quidem re documentum haberemus sententiae Aeliani VI, 12 et Justini XXI, 1, qui soli nobis tradunt Dionysium fratres interfecisse, quoniam alias id, quod illi viri affirmarunt, omni argumento caret, quum satis constet Hipparinum et Nysaeum fratres, post Dionysium maiorem expulsum a. 356, etiamtum Syracusis tyrannidem obtinuisse, ideoque Apollocrates frater solus interfectus esse posset, de quo re vera per totum, quod insecutum est tempus, ne uno quidem verbo mentio fit. Nam quo potissimum pacto Plassius II. p. 240 in errorem incidere potuerit confirmare illum a Plutarcho in Dione c. 37 Apollocratem laudatum, cui Dionysius in Italiam proficiscens arcem tradidit, fratrem Dionysii minoris fuisse, quamquam si capita 37 et 50 comparaveris videre licet illum fuisse natu maximum Dionysii minoris filium, cui item nomen erat Apollocrates, nescio.

[21]) Cf. Diod. XVI, 6. Corn. Nep. Dion. c. 4. Plut. Dion c. 14.

[22]) Hoc loco iterum bellum cum Carthaginiensibus memoratur, de quo infra p. 31 accuratius disserui,

[23]) Cf. Plut. Dion ll., qui solus ex omnibus scriptoribus hanc epistolam commemorat atque omnino fusius Dionis vitam descripsit. Sed equidem puto illam non a Dione esse compositam sed sicut postea, Dionysio

citasset Philisto, atque, ut Timaeus apud Plut. Dion ll. refert, cum eo considerasset, Dionem reconciliationis specie sub arcem ad mare adduxit. Qui cum litteras ostendisset ei proditionemque cum Poenis factam irrogasset, nullam excusationem admittens eum statim cymbae impositum ad Italiae oram per nautas exponendum curavit. Quod ubi Syracusis divulgatum est, tanta benevolentia non solum cognati, verum etiam omnes cives eum prosecuti sunt, ut tota civitate magnus exoriretur tumultus. Quare Dionysius, ne seditione coorta tyrannis everteretur, veritus, ad omnium dolorem levandum Dionem non exsulasse sed ad tempus secessisse Syracusasque rediturum esse dixit; quin etiam familiaribus permisit duas naves, quibus, quaecunque ex bonis, fa mulis amicisque Dionis imposita vellent ad ipsum in Peloponneso, quo ex Italia se contulerat, degentem, deportarentur[24]). Sic jam quarto mense post Platonis adventum Dioni artes dolique Philisti fugiendi erant. Ol. 103,2 = 36$^7/_6$ [25]).

---

eiecto, cf. infra p. 49, etiam has litteras fictas re vera autem a Philisto esse scriptas.

[24]) Cf. Diod. XVI, 6, quo confirmat Dionysium Dioni insidias vitae struxisse, quare Dionem aliquamdiu delituisset, tum vero in Peloponnesum fugam parasse. Contendo vero Plutarcho in Dione c. 14 hanc rem tam diserte ac perspicue Timaeo auctore narranti maiorem fidem tribuendam esse. De Dionis ejectione cf, Val. Max. IV. c. 1 extr. 3. Suidas s. v. *Δίων*. Aelian v. h. IV, 8. Plato ep. VII. p. 329 B Cornel. Nep. Dion c. 4. Plut. de adult. c. 9.

[25]) Plato ll. nobis tradidit: *μηνὶ δὲ σχεδὸν ἴσως τετάρτῳ* (sc. post Platonis adventum) *Δίωνα Διονύσιος αἰτιώμενος ἐπιβουλεύειν τῇ τυραννίδι, σμικρὸν εἰς πλοῖον ἐμβιβάσας, ἐξέβαλεν ἀτίμως*. Quum vero Platonem aestate anni 367 Syracusas venisse perspicuum videatur, Dionem aut extrema eiusdem anni parte aut initio anni 366 expulsum esse nemo neget. Procul quidem dubio est Dionem a. 366 Corinthi esse versatum, cf. Plut. Dion c. 17, quo loco refertur Lacedaemonios Dionem civitate donasse, quamvis eo tempore — *καἴπερ αὐτοῖς τότε* — a Dionysio minore auxilium contra Thebanos supportatum esset. Vocabulum *τότε* autem spectat ad Ol. 103, 3, = 366, quo anno Dionysius minor Lacedaemoniis auxilium misit. Cf. Xenoph. Hell. VII, 4, 12. Itaque Diodorum XVI, 6, qui ab Ol. 103, 1 usque ad Ol. 105, 2 de chronologia rerum Siciliae prorsus tacet, falso descripsisse Dionem, quum Athenis *Κηφισόδοτος* archon Romaeque C. Sulpicius dictator esset, id est. Ol. 105, 3 = 358 patria expulsum esse facile intelligas.

Caput II.

Quomodo se gesserit Dionysius usque ad Dionis in Siciliam reditum.

Quum Dionysius maior vitam fere totam in bellis gerendis ac rebus publicis administrandis perageret, Dionysio regnante minore raro tantum rem memoria dignam invenias. Scimus enim eum a. 366 paulo igitur post Dionem ejectum Lacedaemoniis in bello contra Thebanos duodecim triremes auxilio misisse, quae quidem mox infectis rebus domum redierunt[1]). Deinde Rhegium illustrem illam urbem, quam pater a. 387 solo aequasse tradidi, magna ex parte restauratam, Phoebiam appellavit[2]). Eodem anno, Dionysio auctore, etiam Tauromenium ab Andromacho Tauromenite, Timaei historici patre, viro et opibus et animi magnitudine excellenti, quidquid exsulum Naxi reliquum erat, hinc et illinc congregatis et exceptis, valde amplificatum atque auctum, urbis vero nomen comprobatum esse perhibetur, ita ut Andromachus quasi alter conditor fieret[3]).

Sed jam transeamus ad eas, quae ad interiora regni spectant res. Dione patria expulso Dionysius Platonem in arcem arcessivit specie benigni hospitii custodiam machinatus, ne domum redire posset, sed magno cum amore eum prosecutus nihil nisi id, ut ab eo redamaretur et super omnes coleretur postulavit; quin etiam se summam rerum dominatumque ei permissurum esse, si Dionis amicitiam non praeferret suae promisit. Tanta admiratione tantoque ardore atque caritate exarsit in Platonem[4]). Plato autem multis precibus apud Dionysium id agere non cessabat, ut Dionem revocaret; sed frustra. Denique quum Plato Dionysium

---

[1]) Cf. Xenoph. Hell. VII, 4, 12.

[2]) Cf. Strabo VI, 1, 6.

[3]) Cf. Diod. XVI, 7. Quum Diod. XIV, 59 iam enarraverit urbem a Siculis in colle Tauro esse conditam eamque *διὰ τὸ μεῖναι τοὺς ἐπὶ Ταῦρον ἀθροισθέντας Ταυρομένιον* esse nominatam, hunc locum sic explicandum esse mihi videtur et Plassium II. p. 241, cui in universum libentissime assentior, temere confirmasse censeo alterum Tauromenium ab Andromacho esse conditum.

[4]) Cf. Plut. Dion. c. 16. Plato ep. VII. p. 329, 330.

cum Archyta ac Tarentinis arctissime amicitiae vinculo conjunxisset[5]) remisit eum Dionysius bello quodam exorto[6]) Ol. 103,3 $=36^6/_5$ ea conditione, ut Dionysius Dionem proxima aestate revocaret, Plato vero ipse iterum Syracusas rediret[7]). Attamen promissum Dionysius non servavit, quamquam Dioni praediorum censum statuto semper tempore misit, sed a Platone petivit, ut tempus differret confirmans se pace composita certe Dionem esse revocaturum; Cf. Plut. Dion c. 16.

[5]) Dionysium arcte amicitiae vinculo cum Tarentinis fuisse coniunctum inde proficiscitur, quod Euphorion in comm. hist. apud Ath. XV. c. 60 tradidit, quum dicat Tarentinis a Dionysio minore candelabrum in prytaneum esse dedicatum, in quo tot lucernae ardere possent, quot dies toti anno sunt.

[6]) Cf. Plut. Dion c. 16, 18. Plato ep. VII. p. 338 D. Hic auctores plane nos deserunt. Plut. Dion c. 16 dicit tantum: *ἐν τούτῳ δὲ πολέμου τινὸς ἐμπεσόντος ἀποπέμπει τὸν Πλάτωνα* sine omni laudatione nec loci, quo bellum, nec populi quocum gestum est. Hoc bellum idem esse cum Poenis gestum puto, quod iam supra p. 21 duos quidem annos perdurasse confirmavi et hisce causis. Diod XVI, 6 quidem Dionysium, quum ad bellum gerendum prorsus ineptus fuisset cum Carthaginiensibus pacem fecisse dicit. Quum autem ille ut iam suprā dictum ab Ol. 103, 1 usque ad Ol. 105, 2 de chronologia rerum Siciliae omnino nihil afferat nobisque tantum, quae his temporibus in Dionysii minoris regno acciderint, enarret, non diiudicat, quo anno haec pax cum Poenis facta sit. Plut. Dion c. 6 autem rem prorsus in dubium vocavit bellumne compositum an perductum sit. Quum porro in epistola Dionis ad Carthaginienses missa, cf. supra p. 28, commemoretur, ut, se solum auctore, pacem cum Dionysio ferirent, hac ipsa epistola sive sit genuina sive etiam spuria, id quidem constat Dionysio hoc tempore — aut extrema parte anni 367 aut initio anni 366 — bellum cum Poenis fuisse. Quod bellum, quin idem fuerit eo minus dubitari potest, quum pauci tantum menses intercedant. Vix autem putare possis Carthaginienses cum Dionysio, quem infirmum novissent, cuiusque praecipuum adiutorem Dionem esse viderent statim Dione expulso pacem fecisse, nisi opportunissimis conditionibus. Itaque mihi videtur annum 366 sine magno bello reconciliandi studiis evanuisse sequentique anno, quum studia forsan coepta ad nullum finem perducerentur, iterum bellum exortum esse, qua de causa Plato demitteretur ea conditione ut proxima aestate a. 364 Syracusas rediret. Pax autem, quum illud, ut e Plut. Dion 6 elucet proxima aestate finitum non esset, fine demum huius anni ac mea quidem sententia non sine commodis Carthaginiensium composita esse videtur.

[7]) Plato rediisse videtur in Graeciam aut extrema parte anni 366 aut initio anni 365.

Postquam Dion relegatus ac Plato Athenas reversus est, Philistus Dionysiique assentatores prorsus tyranno abusi sunt. Adulatorum more eius vitia decori praetextu tegere conati, omnia et honesta et inhonesta summis efferebant laudibus[8]). Ut exemplum afferam, Aristippus ille Cyrenaicus in Dionysii aula versatus docuit voluptatem finem esse bonorum et in ea sitam esse vitam beatam; praesentibus esse utendum, nam praesens nostrum esse non autem praeteritum nec futurum. Praeceptis ejus prorsus consentanea fuit vita, quam philosophiae doctor in cuiuscunque generis voluptatibus degit[9]). Polyarchus autem, cui *Ἡδυπαθής* cognomen fuit dixit: nec prudentis nec beati esse cupiditates reprimere et subjugare, quum uniuscujusque hominis natura ad eas esset propensa, et quo quis majorem nactus esset potentiam eo magis ferri ad corporis voluptates. Itaque Persarum regem et Dionysium minorem beatissimos esse homines praedicavit, quod illis propter potentiam plurimae eaeque perfectissimae cupiditates essent paratae[10]). Itaque quum ejusmodi viri in Dionysii aula versarentur, minime mirum videri potest, quod tyrannus, in pristinam segnitiem relapsus, maiori quam antea ardore avaritiae, socordiae, luxuriae se dedit. Quid quod tanta intemperantia voluptatibus indulsit, ut novarum inventores summis semper afficeret praemiis[11]), tanta fuit ebrietate, ut saepe multos

---

[8]) Adulatorum agendi rationem diserte explicat. Plut. de adul. c. 9.

[9]) Cf. de Aristippi ignominiosa vita praeceptisque Athen. XII, 63. Hegesand. ap. Athen· XI. p. 116. Simson chronic. ad a. 3640. Cic. ad fam. IX, 26. Lactant. III. de falsa sap. c. 15. Plut. Dion c. 19. Phanias Eph. fragm. 21. Aelian v. h. XIV, 6. Val. Max. IV, 3. Diog. Laert. in Aristipp. II. c. 8. Plato multis locis. Horat. I. ep. 17 v. 20—23. Voyage d'Anach. chap. 33 ed. Barthel.

[10]) Cf. Aristoxen. Music. in vita Archyt. ap. Athen. XII. c. 64. Sed ut magis perspicue intelligas, qualis fuerit Polyarchus afferam, quod Aelian v. h. VIII. tradidit. „Eo, ait, luxuriae progressus erat, ut canes et gallos, quibus delectatus est, mortuos publice efferret et amicis ad exsequias eorum vocatis splendide sepeliret, quin etiam sepulcro instructo inscriptiones in illud incideret."

[11]) Narrat Timaeus ap. Athen. X. c. 49 et Diog. Laert. in Xenocr. IV. c. 2. Nr. 5. Dionysium minorem in congiorum solemnitate ei, qui primus congium ebibisset, coronam auream praemium proposuisse, ebibisse vero primum omnium Xenocratem Chalcidicensem philosophum.

per dies ebrius perseveraret[12]), quotidieque triginta lecti laute epulantibus apponerentur[13]). Qua nimia luxuria oculorum valetudinem adeo hebetavit, ut nec solem, nec pulverem, nec lucis splendorem perferre posset, unde etiam eius assentatores ebrietatisque sodales, qui ea de causa „Διονυσοκόλακες“ appellantur, simulare consueverant se nec appositos cibos nec calices cernere posse[14]). A libidinibus expletis animum convertit, ut consuetudo fert, ad summam crudelitatem ac saevitiam, quum ob hanc luxuriam se contemni haud immerito putaret. Itaque non ut pater carcerem nexis tantum sed illo longe deterior civitatem caedibus implevit[15]), quin etiam insolentia superbiaque eo adductus est, ut Apollinis se esse filium hac inscriptione praedicaret:

„Δωρίδος ἐκ μητρὸς Φοίβου κοινώμασι βλαστών“[16]).

Quocirca eo magis est mirandum, quod Dionysius, quo tempore omnes libidines effrenatae erant, ipse vitiis erat obrutus, eo ipso Platonis reditum desideravit, sive philosophiae studio mirificoque amore ac honestarum disciplinarum doctrina inflammatus, sive nimia superbia ductus, quum Dionem in Graecia summa esse auctoritate semperque firmissimis quasi amicitiae vinculis cum

---

12) Plut. Dion c. 7 atque Aristot. ap. Athen. X. c. 47 tradiderunt, Dionysium cum bibendi sociis ad nonagesimum usque diem ebrium fuisse, quod equidem credere non possum, praesertim quum in ipsis, quae ad meridiem spectant regionibus multo minus bibi, quam in eis, quae ad septentrionem vergent, satis constet.

13) Cf. Satyr. Peripat. ap. Athen. XII. c. 58. Aelian v. h. II, 41. Aristot. Polit. V, 8, 14.

14) Cf. Justin. XXI, 2. Theop. ap. Aelian. v. h. VI, 12. Plut. de adul. c. 9. Athen. X, 47, VI. c. 56. Ad assentatores eius accuratius describendos haec pauca addantur, quum omnia enumerare longum sit. Quum aliquando Dionysius a ducibus Neapolim missis litteras accepisset, Democles quidam, quamvis, quae eis continerentur, nesciret: „O praeclare, inquit, per deos fecerunt.“ Quum autem tyrannus diceret: „Quid vero, tu nosti, utrum ex sententia sint annon, quae illi scripserunt“, „praeclare, respondit, sane per deos reprehendisti me.“ Et vix credideris, quod Ath. ll. refert, saepe nonnullos, veniam verbis des, quum Dionysius sputaret, faciem sputo conspergendam ei obiecisse et salivam ex ore abiectam melle dulciorem esse confirmasse. Sed taceam de rebus, quae a nobis abhorreant.

15) Cf. Justin. ll.

16) Cf. Plut. Alex. fortit. II. c. 5.

Platone conjunctum audivisset; quam ob rem etiam ei censum praediorum, quibus procuratores suos praefecit, mittere desiit[17]). Multis, qui eruditi habebantur, philosophis ad se vocatis, quum bellum, de quo jam supra, compositum esset, Platonem precibus persequebatur, ut Syracusas veniret, Dionem hortatus, ut annum abhinc extra Siciliam vitam degeret[18]). Abnuebat autem Plato, quum senectutem excusans, tum quia Dionysius promissum non solvisset. Quo factum est, ut res iterum differrentur.. Deinde ab Archyta ceterisque Pythagoreis petivit, ut ipsi promissorum suorum vades eum arcesserent. Qui Archidemum Syracusanum, Archytae familiarissimum, a Platone vero unice amatum, Athenas miserunt, qui Dionysium minorem novo philosophiae ardore litterarumque ingenuarum studio inflammatum[19]) eius adventum valde desiderare, confirmaret. Huic etiam addidit Dionysius nobiles Siciliae amicos et triremes cum litteris, quibus minabatur nunquam se Dionem esse revocaturum nisi ipse Syracusas venisset. Quum praeterea cognati ac soror atque uxor a Dione peterent, ut Plato reverteretur si ipse et patriam et suos aliquando se visurum esse speraret, Plato diutius precibus unitis resistere noluit et tertio Syracusas profectus est[20]) eo consilio, ut Dionem

---

[17]) Cf. Plut. Dion c. 18.

[18]) Cf. Plut. ll. Plato ep. VII. p. 338 C.

[19]) Re vera Dionysius non prorsus omnis in litteris ingenii expers fuisse videtur; etenim, ut silentio transeamus, quod epistolae ipsi auctori attribuuntur, cf. Diog. Laert. IV. 1, 5. Athen. XII c. 66; VII. c 10, quod nunquam virorum litteris expolitorum usu ac consuetudine carebat, poëmata quoque feriisse fertur. cf. Athen. VI, c. 56. Polyaen. strat. V, 2, 46. Suidas s. v. *Διονύσιος*.

[20]) Sunt viri docti, qui de hoc ipso Platonis itinere dubitent ac praecipue quidem eam ob causam, quod Platonis epistolas, unde posteriores scriptores exhauserunt, falsas esse dicunt. Sed, quantum sciam, nemo satis demonstravit nobisque persuadere potuit septimam ipsam, quae iter illud a Platone susceptum distinctis verbis proponit, non esse genuinam. Ut autem epistolarum auctor non sit Plato, sed cae, ut putant, post eius mortem a discipulo et cognato Speusippo scriptae sint, mihi rerum fidei non obstare videtur, quod vix credere possum Speusippum si re vera earum auctor est, quum per multos annos a Platone fides ei haberetur eiusque consuetudine uteretur, immo etiam consanguineus eius esset, ficta ab eo tradidisse. Deinde magnos antiquitatis scriptores eadem nobis retulisse,

Dionysio reconciliaret, Dionysium ad saniora consilia, vitam magis decoram revocaret Ol. 104,3 vel vere anni 361[21]). Sed frustra. Summis quidem, ut antea, honoribus excepto privilegium concedebatur, ut solus sine scrutatione ad tyrannum accederet, quamvis illum Dionis intimum esse amicum haud ignoraret. Ut Dion revocaretur non assecutus est, sed, ut antea, Dionysii comes domo regia retinebatur captivus, Dionis opibus venditis atque inter amicos divisis, quum tyrannus simularet dimidium bonorum Dioni se daturum, dimidium vero alterum eius filio, qui sibi quasi avunculo in tutelam traditus esset, relicturum esse; hoc videlicet esse justissimum[22]). Eodem tempore, quum Plato in Dionysii hortis a janitore custoditus deambularet, atque ille mercenariis stipendia minuere contra patris consuetudinem conaretur, milites in furorem acti, arcis portis, a Dionysio clausis, paeana quendam barbarum conclamantes ad moenia confluxerunt, quo perterritus Dionysius praeter stipendia consueta alia quoque eis concessit. Rumor serpsit Heraclidem equitum praefectum hanc provocasse seditionem, quo audito etiam Heraclides in Peloponnesum ad Dionem amicum confugit[23]). Platone autem, ut Dion revocaretur precibus gravioribus in dies postulante instanteque, tyrannus, quem Plut. Apophth. p. 700 ait, multos aluisse sophistas, non quod eos magni haberet, sed quod favore in illos collato ipse admiratione affectum se vellet, ira incensus Platonem

---

sin minus integritatem certe tamen fidem probare videntur; cf. de hoc Platonis itinere Appulej. p. 160. Themist. orat. XXIII. p. 285. Lucian paras. c. 34. Diog. Laert. III, 16. Plut. Dion c. 18. Plato ep. VII. p. 338—340. Tum in universum Ast: Platons Leben und Schriften. Hermann: Geschichte und System der Platonischen Philosophie. Ritter: Geschichte der Philosophie II. p. 156 ff.

[21]) Quo tempore tertio Plato iter in Siciliam fecerit, licet certiores non facti simus, prorsus distincte constitui potest. Nobis cognitum est paulo post, quum Plato Syracusas venisset, solem defecisse, cf. Plut. Dion c. 19, ut computatur 12. Maio a. 361 vesperi hora 4, unde, ut tertium Platonis iter constituendum sit, ultima parte Ol. 104, 3 = vere 361, consequitur. Cf. Barthel. Voyage d'Anach. annot. ad chap. 33.

[22]) Cf. Plut. Dion c. 19. Plato ep. VII. p. 346—348. Aelian v. h. IV, 18.

[23]) Cf. Plato ep. VII. p. 348, 349. III. p. 318 C. Diod. XVI, 6. Corn. Nep. Dion c. 5.

ex arce remisit eumque inter milites conductitios versari jussit. Quid quod tota Archytae Phytagoreorumque, qui Dionysio legatos Lamiscum et Photidam miserunt, auctoritate vix eo adduci potuit, ut Plato ab exsilio et morte, quae imminebat a mercenariis, liberaretur[24]). Tali modo Plato in Graeciam, ubi cum Dione in ludis olympicis versabatur, proposito suo minime perfecto, rediit, extrema parte Ol. 104,4=vere 360[25]). Simultatque Plato omni praecisa reconciliandi spe domum se contulit, Dionysius Areten invitam, Dionis uxorem, cum Timocrate familiarissimo ac satellite suo, matrimonio conjunxit, Dionis vero filium sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus, patris hac in re justitiam minime imitatus, qui Polyxeno sibi insidianti, uxorem Thesten intactam ad mortem usque servavit[26]).

Jam ad Dionem transeamus et, quae longinquo exsilii tempore coepit cognoscamus. Dion, Syracusis expulsus ad Peloponnesum se contulit, modo Athenis, qua in urbe Callippo familiari suo hospite utebatur, modo in aliis Graeciae urbibus, Megaris, Spartae versabatur. Ubique cum optimo quoque et in republica tractanda versatissimo viro communicavit, ubique summa eum prosequebatur auctoritas atque familiaritas propter mites suos ac modestos mores, propter virtutem ac prudentiam[27]). Sed quo maiorem Dion assequebatur auctoritatem virtutisque fama quo magis Syracusas veniebat eaque re alii timore, alii spe libertatis afficiebantur, eo

---

[24]) Cf. Plato ep. VII. p. 349, 350 et imprimis Diog. Laert. III, 15.

[25]) E Plat. ep. VII. p. 350 C et Diog. Laert. III, 20 cognovimus Platonem, quum in Graeciam reverteretur Dionem in ludis invenisse olympicis eumque de irritis operis suis certiorem fecisse, quo facto Dion, ut expeditionem contra Dionysium faceret, in animum induxit; deinde media aestate, quum Dion Zacynthi navem conscenderet, solem defecisse, quod magnum terrorem militibus injecit, quique defectus 9 Sextili anni 357 = Ol. 105, 4, cf. Barthelemy: Voyage d'Anach. annot. ad chap. 33, factus esse dicitur. Itaque quum Plato, ut supra demonstravimus, vere anni 361 in Siciliam profectus sit, non ludis nisi olympicis anni 360 interfuisse potest. Itaque iter eius constituendum est inde a vere anni 361 usque ad finem veris 360.

[26]) Cf. Corn. Nep. Dion c. 4. Plut. Dion c. 21. Aelian v. h. XII, 47.

[27]) Cf. Plut. Dion c. 17. Diod. XVI, 6. Val. Max. IV, 1 extr. 3. Annot. ad Corn. Nep. Dion. c. 4 ed. Bardili.

magis Dionysii contra illum crescebat ira et odium. Platonem omni modo studuisse, quin etiam mortis periculum subiisse, ut reconciliationem faceret, vidimus. Sed frustra. Dion nullis Syracusarum rebus gestis mente non aderat, semper, qui populi esset animus, noverat et per longinquum temporis spatium sperare posse sibi videbatur, se, abjecta, in quam vocatus esset, ingratia, tandem sibi iri permissum, ut in patriam rediret. Nec exulcerato erat animo, dum Plato reversus, Dionysii agendi rationem in opes suas, uxorem, filium referret. Qua de causa vehementer iratus nec se rediturum esse sperans, reditum vi adipisci constituit. Cuius quidem rei Plato non videtur socius fuisse, quamvis, et aetatem et familiaritatem cum Dionysio excusatus, nihil eorum, quae sibi proposuerat Dion, reprobaret[28]). Adjutus ut erat, quum amicorum, tum Speusippi[29]), Platonis discipuli et propinqui, opera, exercitum comparavit et instruxit. Adjunxerunt se sponte expeditioni Eudemus Cyprius, Timonides Leucadius, Callippus, Milta Thessalus vaticinandi peritus. Ex illis, qui a Dionysio relegati in Graecia vitam degebant, non minus quam mille, viginti tantum et quinque vel triginta[30]) a Dione ad societatem allici potuerunt; sed octingenti convenerunt milites mercenarii, omnes celebres crebris magnisque expeditionibus[31]). Plerique eius susceptum quasi hominis nimia ira infensi irridebant[32]) Quae vero parvas illas, quae Dioni tunc in promptu erant, copias[33])

---

[28]) Cf. Tzetz. Chil. V, 173 sqq. Plat. ep. VII. p. 350; III. p. 315 E; IV. p. 320 A. Plut. Dion. c. 22. Diog. Laert. III, 20. Aelian v. h. III, 17.

[29]) Quem Plass II. p. 247 falso „Pseusippus" vocat.

[30]) Plut. Dion e. 22 enumerat 25 et Diod. XVI, 10 commemorat 30 e numero exsulum, qui periculi participes esse voluissent.

[31]) Cf. Plut. ll.

[32]) Cf. Plut. Dion c. 23.

[33]) Exercitum, quocum Dion tyrannidem evertere tentavit parvum fuisse omnes in eo consentiunt auctores. Cf. Plut. Dion c. 22. Diod XVI, 9 memorat mille mercenarios — *χιλίους* — Arist. Pol. V, 8, 17. Demosth. adv. Leptinem c. 162. Corn. Nep. Dion c. 5. Synes. serm. ad Paeon. p. 308 A. Arist. rhet. ad Alex. c. 9 quidem refert Dionem *μετὰ τρισχιλίων ὁπλιτῶν* et Aelian. v. h. IV, 8 *μετὰ δισχιλίων στρατιωτῶν* in Siciliam tramisisse Dionysiumque debellasse, sed Plutarchum sequor, qui ea, quae nobis tradidit Timonide auctore cf. Plut. Dion c. 35, quem toti expeditioni

miro modo supplebant, erant virtus summa, ingens animus[34]), magna eorum, qui Syracusis reipublicae statum aegre ferebant, benevolentia, quodque his rebus majus erat, ipsius tyranni ignavia et Siculorum ab eo mentes abalienatissimae[35]). Multa jam aestate Ol. 105,4 = 9 Aug. anni 357, quum noctu lunae defectio fuisset[36]), Heraclidem illum, de quo supra p. 37 tradidi, ut auxilium colligeret ac supportaret relinquens, hanc parvam manum armis commeatuque bene instructam, paucis navibus Zacyntho, ubi receptaculum fuerat, recta via in Siciliam transgressus[37]) leni et molli vento duodecim dies vectus, tertio decimo die = 22 Aug. ad Pachynum Siciliae promontorium appulit[38]). Sed Philistum Dionysii classis praefectum, qui in Japygia stationem habuit adeo reformidavit, ut maximis gubernatoris adhortationibus, quum vehemens immineret tempestas, cohiberi non posset, quin, Pachyno relicto ulteriorem lateris meridionalis regionem peteret; quo factum est, ut, naufragio vix ac ne vix quidem evitato, austro stante, quinto die ad Minoam[39]) Poenorum urbem decurrerent, quo a Carthaginiensium praefecto Synalo cum militibus suis Dion benigne exceptus est[40]).

---

interfuisse testemque oculatum fuisse, scimus, descripsit, atque hanc ob causam habere maiorem fidem censeo.

[34]) Cf. Aristot. Pol. V, 8, 17. Diod. XVI, 9.

[35]) Cf. Plut. Dion c. 23. Corn. Nep. Dion c. 5. Arist. Pol. V, 8, 19; V, 8, 14. Diod. ll.

[36]) Cf. Barthel. Voyage d'Anach. annot. ad chap. 33.

[37]) De numero navium, quibuscum Dion traiecit, scriptores differunt. Plut. Dion c. 25 ait .... *στρογγύλαι δύο ναῦς, τριτὸν δὲ πλοῖον οὐ μέγα, καὶ δύο τριακόντοροι παρηκολούθουν.* Diod. XVI, 6 refert: *δυό ναῦς μισθωσάμενος.* Synes. sermo ad Paeon. p. 108 A tradidit: *ἑνὶ πλοίῳ καὶ τούτῳ στρογγύλῳ.* Demosth. adv. Lept. c. 162 prodidit: *πλοίῳ στρογγύλῳ.* Corn. Nep. Dion c. 5 dicit: duabus onerariis navibus.

[38]) Cf. Plut. Dion c. 25. Diod. XVI, 16.

[39]) Minoa est urbs ad oram maritimam inter Agrigentum et Selinuntem ad os fluminis Halyci sita et a Selinunte urbe condita; cf. Herod. V, 46. Diod. IV, 79.

[40]) Cf. Plut. Dion c. 25 et Diod. XVI, 9, qui Carthaginiensium praefectum „*Πάραλος*" appellat.

Caput III.

Dion in Siciliam reversus tyrannidem evertit.

Quamquam tyrannus, quanto in omnium animis ipse esset odio, quantaque esset spes illa, quae omnibus lucescere videbatur Dionis conatu, non ignoravit, quamquam nemo dicere potuit, qua ratione, vel quo tempore liberator veniret, tamen, quod in hoc summo rerum discrimine omnino necessarium erat, Dionysius in urbe non remansit, sed, quum multos armis exuisset, cum octaginta navibus, velutsi tunc omnia tuta essent, Timocrate, prioris uxoris Dionis conjuge, praesidio relicto, Syracusas deseruit et, quo tempore Dion applicuit, ipse versabatur circa mare adriaticum in urbibus nuper ab eo exstructis[1]).

Quo audito Dion, armorum circa quinque milibus superfluisque sarcinis Minoae relictis, quae Synalus, si tempus esset opportunum plaustris ad se mitteret, castra Syracusas movit[2]). Ad progredientem ducenti Agrigentinorum equites, qui circa Ecnomum incolebant, defecerunt; deinde Gelenses, Camarinaei, Madinaei[3]) et aliae Siciliae mediterraneae civitates ad adipiscendam libertatem socios se adjunxerunt, quin etiam ex Syracusanorum excitatorum agro ipso non exigua manus advolavit. Atque ita Dion affluentibus ex omni parte auxiliis, etiam Messeniis et ex Italia Graecis, exercitum non infra quinque milia hominum sub

---

[1]) Cf. Diod. XVI, 11, 12. Plut. Dion c. 26. Corn. Nep. c. 5.

[2]) Cf. Plut. Dion 11. Diod. XVI, 9.

[3]) Madinaei nec a Plutarcho nec ab alio, qui Siciliae res attigit scriptore, quantum sciam, commemorantur, sed a Diodoro solo XVI, 9, quare nihil certi statuendum est, paene vero putarem eos nunquam exstitisse. Cf. etiam Cluv. Sic. ant. II, 357, qui ait: „Nullum, inquit, aliicuiquam memoratum est oppidum *Μάδινα* ... Et post Camarinaeos, quum idem Diod. dicat Dionem assumpsisse illos, qui in vulgatis eius exemplaribus leguntur *Μαδιναῖοι;* nullos alios hos fuisse iudico, quam *Μοτυκαίους*, id est Motycenses, pro quo vocăbulo corruptum illud suppositum; nisi forte suspicari libeat vocabulum *Καμαριναίους* ab imperito atque ascitante exscriptore bis positum fuisse, unde postea alius alterum eorum discerpserit in *καὶ Μαδιναίους*.

vexillis habuit[4]), quos eo armorum genere, quod sors obtulit, armavit. Cuius adventus fama illico Syracusas pervasit atque urbs adipiscendae libertatis desiderio et conspirationibus aestuabat. Interea Dionysius circa Adriam erat, Dionis adventum ignorans, quum nuntius, quem Timocrates ad eum miserat, litteris casu miro amissis, effugisset[5]). Duces autem, quos tyrannus ad urbem custodiendam reliquerat, oppidanos a defectione quam diligentissime deterrere studebant. Quod quum frustra tentassent, civium tumultu passim convalescente, coactis mercenariis militibus, una cum iis, qui a tyranni partibus steterunt resistendi conspirantibus consilium ceperunt. Timocrates Ortygiam Epipolasque tuebatur[6]), quum infestis civium animis, qui imprimis ceteras urbis partes incolebant, diffideret, et, ne urbe relicta seditio exoriretur, Dioni obviam ire non auderet. Quum autem Leontini et Campani, qui Epipolis praesidium tenebant, falsum rumorem a Dione prolatum de ipsorum urbibus occupandis audivissent, Epipolis et Timocrate destitutis, auxilium suis allaturi domum redierunt. Quod quum Dion circa Acras[7]) audivisset et, concione convocata, milites longa oratione inflammasset, noctu castra mo-

---

[4]) Plut. Dion. c. 27 memorat numerum eorum hominum, qui Dioni se adiunxerunt ad 5000, quod facile credas, sed Diod. XVI, 9 numerum incredibiliter auctum 20000 affert.

[5]) Lupus odorem secutus, tabellario, quum in Italiae silva paulisper dormiret, carnes perae alligatas rapuit unaque peram, in qua litteras condiderat. Cf. Plut. Dion c. 26.

[6]) Syracusae enim ex quinque partibus in unam contractae sunt urbem, quae vocantur: Ortygia sive Insula, Achradina, Tycha, Neapolis, Epipolae, quarum Epipolae, locus totus praeruptus et propter asperitatem fere inaccessibilis, cum castello firmissimo Euryalo, ad septentrionem et occasum versus est, Ortygia vero Epipolis prorsus adversa ad meridiem et orientem vergit. Inter has duas partes urbis tres ceterae sitae sunt atque ita, ut inde ex Epipolis Tycha ad septentrionalem, Neapolis ad meridionalem regionem tendat et post illas ad Ortygiam atque mare usque Achradina.

[7]) Pro *περὶ Μάκρας* cf. Plut. Dion c. 27 corrigendum est *περὶ Ἄκρας*, nam primum quidem illo loco *Μάκρας* non inveneris, tum tota Dionis expeditio adeo quadrat ad has Acras, ut aliam urbem nullo modo fuisse dixeris. Acrae viginti quatuor milia passuum a Syracusarum meridiana parte sitae etiamque a Syracusanis conditae sunt septuaginta annis post Syracusas, anno 665. Cf. Thucyd. VI. c. 5.

vens, nullo resistente, ante lucem ad Anapum flumen pervenit. Ibi castra metatus, peractis juxta flumen pro victoria obtinenda, ut mos erat, sacris, Dion cum militibus, coronis, ex herbis floribusque factis, ornatis, trajecto flumine, urbem invadere festinat. Quod quum adspicerent Syracusani, in urbe permagna exorta est seditio; delatores odiosi et tyrannidi fautores statim variis cruciatibus afflicti, eiecti necatique sunt; Timocrates ipse, quum arcem, id est Ortygiam, attingere non posset, arrepto equo, omni salutis spe dejecta, ex urbe profugit[8]). Dion autem quum in aperta planitie, quae a meridiana Neapolis parte extenditur, citato cursu, progressus, nullos se sibi opponentes offenderet, fratre Megacle, Callippo illo amico, centum externis militibus stipatoribus iisque exsulum Syracusanorum, qui expeditioni interfuerunt, eum comitantibus, audacter Temenitida portam[9]) ingressus per Neapolim progressus est in Achradinam. Atque summa pompa, quid quod quasi divinis honoribus ac veneratione exceptus est tertio die postquam Siciliam attigit, quae omnia accuratius enarrare a nostro proposito alienum est[10]). Ascendens deinde Dion horologium excelsum, quod prope arcem vel Pentapylum[11]) Dio-

---

[8]) Cf. Diod. XVI, 10. Plut. Dion c. 27--28. Plut. de curios p. 523 A.

[9]) Plut. Dion c. 29 nobis tradidit *κατὰ τὰς Μενιτίδας πύλας*, quod falsum esse censeo et vitio forsan librariorum pro *Τεμενιτίδας πύλας* esse corruptum. Nam, quum vocabulum „*Μενιτίδας*" nullo solido argumento fulciatur, graves sane causae afferri possunt pro ea, quam protuli sententiam. Ut enim omittam Livium XXV, 9 re vera in hac urbis parte portam Temenitida vocare, a meridiana Epipolarum parte prope urbem lucus erat situs, qui *Τέμενος* vocabatur, cf. Steph. Byz. s. v. *Τέμενος*, quique Apollini „Temenites" cognominato, cuius statua magnifica in ea urbis, quae vocatur Neapolis parte exstructa erat, cf. Cic. in Verr. II, 53, dedicatus erat, et fons eiusdem nominis, cf. Plin. h. n. III, 8, 14 ita ut naturae maxime consentaneum videatur, etiam portae nomen illud inditum fuisse, atque verbo *Μενιτίδας* nullum omnino momentum esse attribuendum.

[10]) Cf. Diod XVI, 10, 11, qui hoc loco iterum incredibiliter auctum numerum eorum, qui se Dioni associaverant 50000 affert. Plut. Dion c. 28, 29, qui omnino Dionis iter planius descripsit. Corn. Nep. Dion. c. 5.

[11]) Puto id, quod Plut. Dion c. 29 *τὰ πεντάπυλα* vocat nihil aliud esse, quam Diodori XV, 74: *ταῖς βασιλίσι καλουμέναις πύλαις*, qua de re iam supra d. 20 tradidi, ita ut „*τὸ ἡλιοτρόπιον*" vel horologium Dionysius exstruxerit prope patris sui funus; cf. Grote VI. p. 77.

nysius illustre ediderat, ad concionem vocatam plebem, ut tuerentur sibi divinitus post annos quadraginta et octo[12]) redditum omnium dignissimum libertatis beneficium pluribus hortatus est. Syracusani autem Dionem et Megaclem fratrem imperatores cum libera potestate creaverunt. Subinde Epipolis minima opera captis totaque iam urbe praeter arcem occupata, ut etiam illam obsidione premeret, muro a portu magno ad portum usque Laccium exstructo, a terra circumvallavit[13]).

Interea Dionysius Cauloniae in Italia versatus, Dionis adventum expertus erat. Quare nuntio ad Philistum, qui tunc circa Adriam erat, misso, ut cum classe quam properrime rediret, quam maximis itineribus iter accelerans, septimo die post Dionis in Siciliam reditum, eodemque die, quo Dion arma apud Synalum relicta accepit ac civibus distribuit[14]), reversus in arcem se retulit. Unde initio privatim missis ad Dionem legatis, pace res componere tentavit. Sed quum ille dixisset, Dionysius cum Syracusanis ipsis publice ageret, legati mediocria tyranni postulata proposuerunt, atque vectigalium remissionem militiaeque vacationem, nisi ipsi bellum suscipiendum esse decernerent, promiserunt. Quae, quum populus irrideret, ut imperium deponeret, alta voce postulantes, petivit Dionysius, ut ad se Syracusani aliquot mitterentur, quibuscum de pace ferienda ageret. Missi sunt ad eum

---

[12]) Scilicet ab anno 405—357. cf. Plut. Dion c. 28. Timol. c. 13. Sin vero Corn. Nep. Dion c. 5 ait: „quinquaginta annorum imperium munitum“ atque Diod XVI, 11 refert: *„πεντηκονταετοῦς γὰρ δουλείας πειράμενοι“* his nobis minime continentur controversiae. Nam sic explicanda sunt, ut Plut. tyrannidis finem in eo anno posuerit, quo Dion Syracusis Dionysio absente potitus est, quamquam Dionysius inde ab illo tempore etiam diu Insulam tenebat. Corn. Nep. atque Diod. ll. mea quidem sententia rectius tyrannidis finem ad annum usque 356 producunt, quo Dionysius ex arce in Italiam effugit.

[13]) Cf. Plut. Dion c. 29 et Diod. XVI, 12, qui accuratius tradidit Plutarcho, quomodo murus editus esset, quum dicat: ...... *ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν διατειχίσματα*, quae verba gravissima esse puto.

[14]) Cf. Plut. Dion c. 29. Diod. XVI, 10 prodidit has quinquies mille armaturas iam ante urbem captam advenisse et inter Syracusanos armis destitutos divisas esse, quod mihi, quum tempus arma transferendi brevius sit, haud verisimile videtur.

viri, quos Dion probatae spectataeque fidei esse non nesciit. Quibus autem cum Dionysio de pace disserentibus ex arce subito rumor exortus urbem pervasit, Dionysium imperium esse depositurum. Sed hac fama Syracusanis doli et insidiae parabantur. Nam quum Dionysius de die in diem colloquium prolongaret, et Syracusani spe pacis custodiis negligentius prospicerent segniusque stationes agere coepissent, primo diluculo, reclusis extemplo portis arcis, agmen instructum meroque impletum contra murum a Dione exstructum magno impetu immisit. Muro magno strepitu diruto trucidatisque excubitorum non paucis, barbari irruunt in urbem. Quum Syracusani re inexspectata perterriti terga verterent, Dion, simulatque se a tyranno fraude deceptum videt, militibus coactis hosti obviam tendit. Proelio conserto, ab utraque parte, praesertim quum intra munitiones vix unius stadii spatium intercederet, acerrime dimicatum est. Quum vero Marte ancipite confligeretur multique ex utrisque caderent, Dion egregii quippiam peracturus, in medios hostes se immisit acriterque pugnans multos necavit. Sed ipse in dextro brachio vulneratus et senectute jam confectus in terram collapsus singulari tantum militum fortitudine vix effugit mortem. Postquam periculo ereptus Timonidem illum ducem sibi substituit, ipse vero equo urbem circumvectus, Syracusanos a fuga avocavit, et peregrinos milites, qui Achradinae praesidium tenebant, contra Dionysium concitavit, illius mercenarii saucii ac defessi in arcem se recipere coacti sunt[15]).

Hac victoria, in qua ex Dionis militibus septuaginta quatuor, e Dionysii vero octingenti ceciderunt, parta, Syracusani tropaeum in tyranni opprobrium erexerunt, externos milites centum minis, Dionem vero aurea corona donaverunt. Dionysius autem spe sua frustratus cadavera impetrata aureis coronis purpureisque vestibus eleganter amicta sepeliri iussit, quibus officiis superstitum amorem sibi conciliare studuit. Deinde, quum fortissimum quemque magnis ornasset muneribus, iterum legatos, qui de pace componenda cum Syracusanis agerent, misit, quos Dion, eadem arte Dionysium

---

[15]) Cf. Diod XVI, 12. Plut. Dion. c. 30. Justin. XXI, 2. Polyaen. strat. V, 2, 7.

decepturus, varia objiciens retinebat, donec murum perruptum restaurasset, restauratumque iterum firmasset. Quo peracto Dion legatis respondit unicam esse pacis feriendae viam si, tyrannide deposita, honoribus quibusdam Dionysius acquiesceret. Quum tyrannus, qui hoc responsum aegre ferret, omnibus rebus abundans atque in mari validior frustra Syracusanos agros vastare urbemque a commeatu intercludere conatus esset, ut Dionem apud cives invisum redderet, litteras a Dionis filio Hipparino[16]) aliisque cognatis patri scriptas finxit. His continebantur preces obsecrationesque mulierum, minae adversus carissima pignora: sororem, filium, conjugem miseraeque, lamentatione admixta, obtestationes, ne everteret sed ut susciperet tyrannidem, quam Dionysius deponere vellet, praestaretque amicis, necessariis securitatem[17]). —

Quibus litteris quamvis publice recitatis, tamen Dion Syracusanis in suspicionem venit, ita ut Heraclides ille, qui a Dione cum triremibus in Peloponneso relictus, interea Syracusas viginti cum triremibus, mille et quingentis instructis militibus[18]) reversus est, quamvis summa imperii in Dionem esset delata, classis praefectus deligeretur[19]). Eodem fere tempore Philistus, Dionysii summus classis praefectus, sexaginta cum triremibus et supra quingentos equites, postquam, Leontinorum urbem, quae a Dio-

[16]) Plut. Dion c. 31 ait, Timonide illo auctore, Dionis filium esse Hipparinum ab avo Hipparino sic nominatum eumque a Timaeo pag. 127 ed. Müller falso Aretaeum a matre Arete esse appellatum.

[17]) Cf. Diod. XVI, 12, 13. Plut. Dion c. 30, 31. Polyaen strat. V, 2, 7.

[18]) Plut. Dion c. 32 tradidit Heraclidem cum septem triremibus et tribus navigiis tantum appulisse, quod, si magnam classem, quacum Syracusani paulo post cum Philisto pugnam commiserunt navalem, spectaveris, haud verisimile videtur. Quare a Diod. XVI, 16 numerum proditum viginti navium longarum et mille quingentorum armatorum verisimilius esse censeo.

[19]) Et tunc re vera, licet in Peloponneso iam eorum animi invicem essent abalienati, cf. Plut. Dion c. 32, inter Dionem et Heraclidem coepta est de principatu contentio, coeptum simul fatale illud immo fatalissimum tempus, quo Syracusas summa, qua tot per saecula mirifice floruerant, gloria privari privatasque ad exitium ferri fato quasi quodam destinatum erat ad id usque tempus, quo Timoleon ille clarissimus vir rei militaris scientia arcte cum fortuna mira coniuncta ordinem ac requiem restituit, qua de re, quatenus a nostro proposito non alienum est, infra disputabimus.

nysio desciverat, noctu viribus inferior frustra oppugnare conatus, clade affectus est, ex Italia Syracusas venit. Ita foede pulsus hanc contumeliam statim proelio contra Heraclidem navali commisso, abluere constituit. Acie, ab utraque parte haud inferiori quam sexaginta navium instructa, in pugnam ascenderunt, et manu conserta hinc et illinc acerrime dimicatum est. Jam jam diu ancipite Marte manente, victoria in Philistum, qui virtute praevalebat, inclinavit, quum, navi eius subito in terram infixa, a Syracusanis undique circumfusus et vivus captus est. Ol. 106,1 = aestate anni 356[20]). Senectute[21]) jam confectum Philistum Syracusani, ignominiose auditu, exuunt, denudatumque illudunt atque, capite obtruncato, corpus pueris tradunt, qui ira infensi per Achradinam tractum in latumias abjiciunt[22]).

Philisto optimo tyranni duce mortuo, Dionysius, animo dimisso omnibusque rebus desperatis, legatos ad Dionem misit, qui ei imperii dimidio frustra oblato, id proposuerunt, ut Dionysius arcem, arma mercenariosque milites ei traderet ea conditione, ut illi in Italiam se recipere annuosque fructus fructuosae lataeque regionis, quae *Γύατα* vocabatur, capere liceret. Dion autem, quamquam ipsi haec conditiones probatae erant, et quamquam populum, ut pacta oblata acciperet hortatus est, legatos ad Syracusanos, quibuscum agerent, misit. Quum autem cives victo-

---

[20]) Cf. Clinton Fast. Hell. ad. a. 356.

[21]) Philistum iam quinquaginta sex annis ante Atheniensium cladem apud Syracusas vidisse e Plut. Nicias c. 19: *τῶν πραγμάτων ὁρατὴς γενόμενος* elucet, unde proficiscitur eum tunc iam senem fuisse.

[22]) Cf. Timonid. Timae. et Ephor. ap. Plut. Dion c. 35. Suidas s. v. *Φίλισκος ἢ Φίλιστος*. Controversia est, utrum Philistus vivus ac mortuus in Syracusanorum manus inciderit. Ephor. frag. 152 ed. Müll., quem Diod. XVI, 16 secutus est, solus nobis refert Philistum, quum navis eius capta esset, semet ipsi manum intulisse, ut opprobrium et cruciatus effugeret, quae omnia captivis applicari solent. Timaeus autem et Timonides, qui toti interfuit expeditioni, quemque Plut. ll. sequitur, eum vivum a Syracusanis summa crudelitate esse affectum tradunt. Atque hanc ob causam vituperat Plutarchus quidem Ephorum, mea vero sententia haud ita suo iure, quum, Philistum ab omnibus suis derelictum sibi mortem consciscere tentasse, sed quamvis vulneratum, tamen non prorsus exanimum in Syracusanorum manus venisse, et tunc corpus semianimum contumelia esse affectum, nihil sit, cur statuere dubites.

ria navali elati et ab oratoribus importunis pertracti Dionysium mox vivum se dedere coactum iri sperarent, legatos re infecta remiserunt. Quare Dionysius, quum arcem, fortissimis militibus mercenariis relictis, Apollocrati filio natu maximo, de quo jam supra p. 18 et .27 retulimus, tradidisset, plurimosque thesauros sociosque navibus imposuisset, Heraclidem nauarchum, cui, ne Dionysius evaderet, cum classe portus observandus erat, fallens in Italiam trajecit[23]). Sic tyrannus ab eodem viro, qui, ab eo expulsus, per longum temporis spatium exsul vitam degerat, decem fere mensibus post eius in Siciliam reditum, tyrannide eversa, patria ejectus est, postquam duodecim annos regnavit. Ol. 106,1 = aestate anni 356[24]).

---

[23]) Cf. Diod. XVI, 16, 17. Plut. Dion c. 38. Corn. Nep. Dion c. 5. Justin. XXI, 2.

[24]) Cf. Diod, XV, 73. Non utique prorsus duodecim sunt anni, sed undecim anni nonnullique menses. Plut. Timol. c. 13 ait Dionysium decem annos regnasse. Quod hinc derivandum est, quod idem in Dione c. 28, ut iam diximus p. 46, quadraginta octo annos tantum computavit ab eo tempore, quo pater tyrannide potitus est ad Syracusas usque a Dione captas. Quum autem pater triginta octo annos regnarit, restant decem anni tantum filii imperio, cf. Clint. Fast. Hell. ad a. 356 et Euseb. chron. ed. Schoene p. 112. In universum de Dionysio a Dione eiecto cf. etiam praeter Diod. Plut. et Corn. Nep. ll. Aristot. Pol. V, 8, 17. V, 8, 19. Aelian v. h. IV, 8, VI, 12, VII, 14, IX, 8, III, 17. Synes. serm. ad Paeon. p. 308 A. Trog. Pomp. frag. XXI. Diog. Laert. II, 7. Nro. 6.

Pars tertia.

Quae Dionysius inter exsilium et post imperium iterum adeptum fecerit ad alteram usque expulsionem.

Caput I.

Qualis fuerit Dionysius exsul.

Dionysio tyranno expulso, statim inter Heraclidem Dionemque contentiones adipiscendi summam imperii, esse futuras nemo erat, quin perspiceret. Nam ut quis ab hac vel ab altera parte stabat, ita huic vel illi favebat. Primo quidem Dion maiore floruit auctoritate quam Heraclides, quippe qui, quamvis plebis carus esset, quod segniori remissiorique custodia Dionysium ex arce evadere sivisset, vehementer accusaretur, unde venit, ut plebis favore mox decideret. Idem vero, ut hunc sibi reconciliaret favorem, agrorum distributioni, libertatis aequalitatisque initio ab Hippone quodam prolato valde favebat, quum Dion summopere repugnaret[1]). Quo factum est, ut Dion, qui hac utique re, libertate prorsus oppressa, tyrannidem expetere recte non paucis videretur, in procerum invidiam, odium populi incideret atque, quum viginti quinque praetores, qui urbi praeessent, e plebe deligerentur, quorum unus Heraclides erat, ipse non eligeretur[2]). Qua re commotus mercenariisque militibus, qui ad tria milia e Peloponneso venerant, quibusque stipendia debita ob civitatis indigentiam non solvebantur, excitatus, ingrata urbe cum illis relicta Syracusanisque persequentibus in ipso itinere devictis, quasi iterum exsul ad Leontinos se contulit, a quibus non solum ipse, verum etiam mercenarii milites et stipendiis et civitate donati sunt[3]).

---

[1]) Sed nihilo minus agrorum partitio constituta est. Cf. Plut. Dion c. 48.

[2]) Plut. Dion c. 38 hos praetores θέρους μεσοῦντος esse creatos dicit, paulo igitur post Dionysii e Syracusis eiectionem archonte Athenis Elpine. Ol. 106, 1 = 356 cf. Diod. XVI, 15, 17. Clinton ll.

[3]) Cf. Diod. XVI, 17. Plut. Dion. c. 38—40.

Sed ad Dionysium redeamus, qui Syracusis expulsus primum Rhegium, qua in urbe quatuor per annos, nec puto clementius Syracusis, regnum tenebat, donec a Callippo a. 352, ut infra explicabimus, eiectus Locros se recepit[4]). Attamen spem Syracusanorum tyrannidem recuperandi ita non abjecerat, ut eorum res non semper respiceret atque mente prosequeretur. Postquam igitur contentionem inter Heraclidem et Dionem, seditiones Dionemque ejectum audivit, occasionem haud contemnendam repetendi imperii oblatam esse putavit. Itaque Nypsium civem Neapolitanum, virum et fortitudine et rei militaris scientia praestantem cum classe multisque onerariis navibus, magno frumento oneratis, Syracusas misit, qui Appollocratis esset socius. Apollocrates enim, quum ob frumenti inopiam summo discrimine laboraret, jam jam in eo erat, ut arcem Syracusanis cum omnibus, quae inerant dederet, quum primo diluculo Nypsii classis in alto conspiciebatur, qua portum magnum ingressa, prope Arethusam fontem[5]) applicat summam-

---

[4]) Inde ab hoc tempore sententiarum connexus in Dionysii minoris regno quum auctores nos descrant difficillimus est. Plut. Dion c. 37 ait tantum *ἐξέπλευσε* et Dion XVI, 17 *ἔλαθεν ἐκπλεύσας καὶ κατῆρεν εἰς τὴν Ἰταλίαν*, uterque locum autem, quo se contulerit minime indicat. Sententiam vero, quam proposui, e Justin. XXI, 3 exhausi, ubi tradidit, Dionysium Locris sex per annos regnasse. Atque quum Plut. Timol. c. 1 nobis prodiderit, Dionysium decem per annos a Syracusis remotum fuisse, reditus eius in anno 346 ponendus est, unde sequitur, eum secundum Justinum ab anno 352—346 Locris imperium tenuisse, per priores vero annos alio versatum esse loco. Atque equidem eum per illud tempus Rhegii tyrannidem obtinuisse puto, quod eo verisimilius esse videtur, quod a. 352 re vera Dionysii praesidium, quod Rhegii arcem tuebatur, a Callippo, ut infra referemus, eiectum est. Ad quod si addas Rhegium nunquam non sub Dionysii potestate fuisse, eique semper tyrannum favisse, quum urbem a patre prorsus dirutam, ut supra p. 30 dictum, restauraverit eique nomen Phoebiae dederit, certe tibi paene persuasum habeas, illum se prius ad Rhegium convertisse, quam ad Locros, quoniam haec urbs, non tam obedientiae officio, quam affinitate propter Doridem matrem, cum eo coniuncta erat. Itaque illud a Justino solo nobis traditum, quamvis negligenter atque confuse in universum ille referat, non parvi esse aestimandum puto, ad sententiarum connexum facilius statuendum. Etiam Plassius II. p. 255 ad hanc opinionem inclinari videtur.

[5]) De Arethusa fonte diserte scripsit Cluver Sic. ant. I. p. 166. Hodie vocatur: Sancta Maria à portu.

que omnium rerum abundantiam supportat. Atque ita arx extrema victus penuria pressa, ex improviso militum inopia levata, expositisque Nypsii militibus, non solum conservata sed firmius quam antea munita est. Cuius adventu Syracusani valde irati impletis, quotquot aderant, triremibus in hostes, qui in deponendis versantur commeatibus, necopinato irruunt, quo proelio Syracusani superiores quatuor navibus captis, nonnullis demersis, ceteras in fugam actas ad litus usque persequuntur[6]). Qua victoria insolentius elati Syracusani arcem ipsam se daturam esse jam rati, sacris deorum numini splendide peractis, conviviis intemperantius indulgentes, stationibus vigiliisque, aut prorsus desertis, aut negligenter administratis, et animos et mentes ad potum convertunt voluptatesque. Quo cognito Nypsius, noctu murum illum a Dione circumvallatum adortus est. Quem quum diruisset custodesque vino somnoque obrutos trucidasset, milites, qui ad decem milia erant, in urbem immisit. Hi vero ira de clade affecta et praedandi cupiditate flagrantes, primum in Neapolim, deinde in Tycham irruunt, omnes eis obviam factos trucidantes, quin etiam in domos ipsas penetrantes, non solum cuncta diripiunt ac praedantur bona, verum etiam feminas puerosque captivos secum ducunt. Denique ad Achradinam urbis frequentissimam partem, ubi eodem modo caedes ac praedatio totam per noctem totumque, qui subsequebatur diem, ad vesperum usque perdurabat[7]).

Quod quum animadverterent Syracusani, haec omnia ob ingratitudinem erga Dionem sibi patienda esse rati, et Dionem revocandum et e Leontinis eius milites esse arcessendos una voce conclamaverunt. Itaque necessitate pressi legantur ad Dionem confestim ex sociis Archonides et Teleclides, ex equestri vero ordine quinque cum Hellanico. Qui, quum Syracusarum calamitates ac mala, concione Leontinis advocata, lacrimis effusis descripsissent, Dionem tanto patriae amore inflammarunt, ut sine ulla mora cum mercenariis suis iter nocturnum pararet[8]).

---

[6]) Cf. Diod. XVI, 18. Plut. Diod. c. 14.

[7]) Cf. Diod. XVI, 18, 19. Plut. ll.

[8]) Cf. Diod. XVI, 20. Plut. Dion c. 42, 43.

Syracusis vero interea rebus mutatis etiam, ut fieri solet, mutatus erat populi mobilis ac flectibilis animus. Dionysii milites enim, quum illo die urbem clade ac terrore, paucis suorum amissis, affecissent, in arcem se ad vesperum receperunt. Quod quum viderent Dionis inimici imprimisque Heraclides et Theodotes, animis resumptis ac spe per se ipsos libertatis urbisque conservandae capta, populo, ne Dion exciperetur, persuaserunt atque, ut legatis denuo missis ille in itinere retineretur, effecerunt[9]).

Quum vero ita Syracusani dissidiis intestinis essent discissi, Nypsius, cum maiore quam antea impetu toto muri circuitu dirupto, per omnes urbis vias contra cives turpiter deceptos milites emisit, qui summa crudelitate omnia diripiunt atque caedunt. Nec aetati nec generi nec ordini nec dignitati parcitur. Senex aegrotus aetateque confectus, tener infans, femina inermis, virgo trepidans aeque ac vir armatus et juvenis vita pollens, omnes caesi sunt. Quid quod, ut celerius ad finem pervenerunt, Syracusas solo aequare tyrannidemque ruentem sub urbis ruina sepelire volebant. Itaque, priusquam Dion apparuisset, urbem facibus multis locis incenderunt, ita ut cives miserrimi nescirent, quo potissimum evaderent, ut in aedificiis ignem, in viis barbarorum gladium effugerent. Ubique summa perturbatio, summa detrimenta, ubique terror, caedes, incendium, mors; nusquam auxilium, salus; viae urbis cadaveribus opertae, ignis magis magisque totam per urbem diffusa. Quae vero calamitates, quam dici potest, miserabiliores universae urbi Dionisque inimicis persuaserunt sine illius auxilio urbem interire, quam ob causam ab Heraclide legati eius frater atque patruus Theodotes missi sunt, qui eum obsecrarent, ut injuriarum immemor urbi paene excisae auxilium ferret. Quo audito Dion, qui sexaginta tantum stadia ab urbe aberat, citato cursu Syracusas tendit. Atque quum per portam Hexapylum[10]) in urbis regionem Hecatompedon[11]), quae vocatur, intrasset, acie ibi instructa progredi coepit. Atque i a Dionysii

---

[9]) Cf. Plut. Dion c. 44.

[10]) Hexapylum septentrionem versus situm est.

[11]) Sic enim coniungendum esse censeo, quod nobis Diod. XVI, 20: *καὶ διανύσας ὀξέως τὴν εἰς Συρακούσας ὁδὸν, ἧκε πρὸς τὰ Ἑξάπυλα* et Plut. Dion c. 45: *εἰσέβαλε διὰ τῶν πυλῶν εἰς τὴν Ἑκατόμπεδον λεγομένην* retulerunt.

milites nil metuentes, totam per urbem dispersi, ut qui ex improviso in concremandis aedificiis, aut auferenda raptim praeda inveniuntur, magna clade affecti sunt, ita ut circa quatuor milibus caesis, ceteri in fugam praecipitem acti in arcem se recipere cogerentur[12]).

Qua victoria parta summopere intendit Dion urbis incendium cohibere, vias cadaveribus refertas expurgare, in pugna caesos sepelire munitionesque fractas ac praecipue murum arci objectum reficere; quo facto, tropaeum erexit diisque sacra persolvit. Ac deinde captivorum in arcem deductis circa duobus milibus exsolutis, etiam inimicis suis, qui, quum calamitatem maxima ex parte provocassent, praeter Heraclidem et Theodotem quamvis infestissimos, timore commoti ex urbe evaserant, benignissime indulsit, quin etiam Heraclidi, quamquam, concione advocata, ipse imperator terra marique creatus est, maris imperium eo libentius reddidit, quum plebs aegre ferre videretur classis perfecturam illi adimi[13]). Sed quum populus agrorum partitioni, quam Heraclides vehementissime adjuvit, summopere incumberet, Dion autem huic adversatus, etiam priora plebiscita rescinderet, populum vehementer exacerbavit. Heraclides autem, quum a populo staret, occasione considerata, extemplo cum classe Messanam forsan specie contra Dionysium bellandi, re vera autem ad depellendum Dionem profectus, non solum milites contra illum quasi tyrannidem affectantem excitavit, verum etiam cum Dionysio, interprete illius duce Pharace, qui a Dionysio in Siciliam missus Neapoli in agro Agrigentino castra metatus erat, clam de foedere agebat. Quod quum nobilissimi Syracusani animadvertissent, in classe seditio exorta est, tanta vi, ut Syracusis commeatus angustiae essent[14]). Atque quum Dion Pharacem aggressurus cum exercitu

---

[12]) Cf. Diod. XVI, 20. Plut. Dion c. 44—46.

[13]) Cf. Diod. ll. Plut. Dion c. 46—48.

[14]) Cf. Plut. Dion c. 48. Grote VI. p. 94 ait hoc loco aliquid deesse hisce quidem verbis: „In so weit wir nach der kümmerlichen Nachricht bestimmen können, möchte es fast scheinen, als ob die Kriegsoperationen (sc. Heraclidis) hintertrieben worden seien, und als ob die Flotte nach Syracus zurückkehren mußte. Hier ward der Zwist wieder erneuert — die Seeleute standen zu Heraclides, die vorzüglichsten Bürger zu Dion — und so weit getrieben,

proficisceretur, sed, ut tempus opportunum ad proelium exspectaret, bellum differret, ab Heraclide malitiose divulgatum est, idcirco eum cum Pharace proelium procrastinare, ne ei imperium deponendum esset, quibusque rumoribus excitatus, quum proelium auderet, fusus est. Cuius cladis maculam ut elueret, quum iterum aciem instruxisset, subito certior factus, Heraclidem solvisse et cum classe Syracusas petere ea mente, ut, urbe capta, ipsum cum exercitu fugaret, quam maximis itineribus cum validissimis equitibus iter festinans atque stadia septingenta emensus Heraclidem praevenit, licet quam celerrime cum classe contenderit[15]).

Quum vero paulo post Gaesylus Spartiates a Lacedaemoniis missus cum classe Syracusas venisset, Dionem reconciliavit Heraclidi. Quo facto, Syracusani classem, magnarum inter principes seditionum causam, siquidem nihil ea amplius pro tempore opus esset, maxima ex parte dimiserunt ac summis viribus ad obsidendam arcem animos convertunt. Apollocrates autem arcte obsessus, quum frumentum deficeret neque quisquam commeatum supportaret, rebus desperatis, arcem Dioni tradidit ea conditione, ut ipse liber cum sororibus et quinque triremibus regiis opibus

---

daß die Stadt nicht allein durch Unruhen, sondern auch sogar durch unregelmäßige Zufuhr von Lebensmitteln litt", cui equidem non consentio. Nam vix credere possum, Heraclidem, quamdiu Dion adversarius in urbe erat, praesertim quum nautae ipsius partem sequerentur, proditione aperta, Syracusas rediisse, quum tunc certe fieret, ut maris ei imperium abrogaretur, ut alia supplicia omittam. Itaque Plutarchum secutus, magis rationi consentaneum esse mihi videtur statuere, Heraclidem cum classe ad oram Siciliae circumvagatum et eo ipso factum esse, ut ordinario commeatu interrupto in urbe annona orta esset. Atque hac opinione Grotius etiam cogitur, Heraclidem paulo post, expeditionis Dionis contra Pharacem, Dionysii ducem, participem facere dictitans: „Die Heeresmacht von Syracus wurde hinausgeführt, um den Pharax anzugreifen, die Flotte unter Herakleides, die Krieger zu Lande unter Dion", quamquam Plutarchus tantum de Dionis in Pharacem expeditione tradidit. Etiam Plassius mihi assentiri videtur II. p. 253 quum dicat: „Doch verlief es Herakleides nach Messene, trat durch Vermittelung des Spartaners Pharax, eines Obersten des Dionys, sogar mit diesem in Unterhandlung und schwärmte als Freibeuter mit einigen Segeln umher."

[15]) Cf. Plut. Dion c. 49. Cur Pharax, licet superior, Dionem non secutus sit, aut quid amplius egerit a nullo auctore traditum est, quare nihil certi confirmare ausim.

onustis ad patrem in Italiam navigare posset, ad quod spectaculum cuncti cives quasi indicto festo confluxerunt. Ol. 106, 2=355[16]). Dion vero in arcem se contulit, ubi post duodecim annos primo Areten conjugem, quae insons Timocrati erat nupta, Aristomachen sororem filiumque Hipparinum vidit[17]), quos omnes benignissime nec sine lacrimis amplexus, arce Syracusanis tradita, in paternam domum secum duxit.

Sic igitur Dion admiratione simul ac timore summam imperii adeptus quasi dictator reipublicae stabat atque, si tunc mortuus esset haud immerito a Syracusanis patriae servator cognominatus, a posteritate summis laudibus esset elatus, atque Academia magnum luxisset jure discipulum. Sed etiamtum omnes illae eaeque deteriores, de quibus jam antea, morum ipsius partes, quasque ipse Plato vehementer vituperarat magis quam initio prodibant, quae sane magna eius in patriam merita obscurarent. Nam quamquam, quum e Peloponneso reversus esset, oratione splendida Syracusanis libertatem se redditurum esse praedicarat, tamen nihil eis dedit[19]). Quid quod, quamvis populus summopere ab eo peteret, ut arcem, tyranni sepulcrum, demoliretur, utque illius cadaver disjiceretur, id minime permisit, quin etiam, militibus mercenariis non dimissis, e Platonis exemplo reipublicae formam in legitimum ac m destum principatum permutare studuit atque hanc ob causam adjutores Corintho vocavit. Quam rem, quum ab Heraclide vehementer impugnari Dion non ignoraret, dictitans, non bene rempublicam regi multorum imperio, illum virum, quem alias a justo supplicio servaverat, tamquam turbulentum seditiosumque civem sicariorum caede interfici jussit[20]). Quod Syracusanis valde displicuit omnesque sum-

---

[16]) Hic esse verum ac proprium tyrannidis finem ponendum statuo, quum tunc demum Dionysii imperium, licet non ipse regnarit, exstinctum sit et Dion praecipue ad reipublicae gubernacula accederet.

[17]) Hic Dionis filius, quem Dionysius ad perditam luxuriam turpissimasque libidines adduxerat, paulo post de superiore aedium parte deiectus mortem occubuit. Cf. Corn. Nep. Dion c. 6. Aelian v. h. XII, 47. Plut. Dion c. 55.

[18]) Cf. Plut. Dion c. 51. Corn. Nep. Dion c. 6. Aelian v. h. XII, 47.

[19]) Cf. Plut. Dion c. 51.

[20]) Ampliora de Dione dicere a nobis alienum est idque ei tribuen-

mo affecit non solum dolore, verum etiam timore. Quo factum est, ut Dion, quum, aemulatore e medio sublato, principatu liberius fungeretur, conjuratione, Callippo illo duce, inita, saepissime ab amicis quidem, ut sibi a pristino hospite ac familiari caveret, sed frustra monitus a Zacynthiis, quos ille conduxerat, Proserpinae die festo in domo sua interficeretur. Ol. 106,3=253[21]). Syracusani Dionis morte, quum libertatem jam deminutam se recuperaturos esse sperarent valde se deceptos cognoverunt, quum Callippus statim, Aristomache, Dionis sorore, una cum gravida uxore Arete, quae, quum partus instaret, paulo post filium ge-

---

dum esse putamus, qui sibi Dionis vitam accuratius describendam proposuit. Sed haec nobis addenda videntur, Heraclidis mortem in vita Dionis esse maculam, quam nemo nec etiam Plutarchus, licet magno cum studio ac caritate de Dione dixerit, eluere potest. Atque unicuique hanc agendi rationem spectanti etiam invito sententia obtruditur eum, quamvis, quae de patria fecerit, nunquam parvi sint aestimanda, non tam benignitate ac magnanimitate, quam superbia insolentiaque, ei, ut iam supra dictum, innata, ductum sic egisse, ut maiorem auctoritatem, maiorem admirationem apud populum adipisceretur sibique hoc modo viam ad imperium facilius strueret. Sane quidem concedendum esse puto illum non in animo habuisse tyrannidem e Dionysiorum exemplo constituere, verum reipublicae formam, quae ex Cretica et Laconica mixta erat, ita ut ipse rex populo optimatibusque aliquot concederet iura, id est, ut legitimum ac modestum constitueret principatum. Licet igitur Corn. Nep. in Dionis vita describenda forsan acerbius de illius occupandi imperii studio iudicet, tamen Plassium II. p. 259, qui Dionem tyrannidi non studuisse confirmat, auctorem sequi non possum. Cf. Plut. Dion c. 52, 53. Corn. Nep. Dion c. 5, 6. Grote VI. p. 97.

[21]) Nam Ol. 106, 3 complectitur ultimum anni 354 dimidium et primum anni 353. Cf. Corn. Nep. Dion c. 10, ubi dicit Dionem circiter quinquaginta quinque annos natum, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierit, diem supremum obiisse. Quum autem Dion 357 reversus sit eum a. 353 esse mortuum apparet. Cf. Diod. XVI, 31. Euseb. chron. p. 112, ubi, ut saepe aliis locis, falso Dionysius pro Dione scriptus est, et Hieronym. versionem ibid. Plut. Dion c, 53—57, qui mortis rationem fusius descripsit. Plut.: de pud. vit. c. 4. Athen. XI. c. 119. Aristot. ars rhet. I, 12. Val. Max. III, 8 extr. 5. Plut. Nic. c. 14. Plut. de Apophth. p. 702. Cf. etiam Corn. Nep. Dion 8—10, qui solus pro Callippo Callicratem tradidit, quod, quum omnes scriptores consentiant aut errore aut librariorum vitio factum esse puto. Corn. Nep. Timol. c. 2.

nuit, in carcerem dejectis[22]), per vim urbem tyrannide opprimeret; atque sero Dionem cecidisse illos poenituit[23]). Sed nec Callippus Syracusanorum imperio diu gavisus est. Nam quum ad subigendam sibi Catanam cum exercitu in hanc urbem profectus esset, Syracusis a Dionis amicis, qui vero profligati Leontinos perfugere coacti sunt, seditio excitata est. Cum his profugis Hipparinus Dionysii minoris frater, qui Leontinis erat, conjunctus, quam celerrime noctu, custodibus caesis, ex improviso Syracusis potitus Callippum, quum ad recuperandam urbem rediret, fudit fugavitque postquam tredecim menses imperium tenuit a. 352[24]). Atque frustra, ut videtur, Catanam aggressus contra Messanenses se convertit, sed ab his magna clade affectus totam fere Siciliam, quum nulla civitas eum exciperet, discurrens, donec freto trajecto Rhegium, quae urbs a Dionysii praesidio tenebatur cum Leptine[25]) Syracusano socio, Dionysii militibus ejectis, occupavit tyrannidemque constituit. Sed quum gravi premeretur pecuniae inopia et mercenariis militibus stipendia solvere non posset, a Polyperchonte quodam et ipso Leptine, qui tunc tyrannidem occupasse videtur, eodem gladio, quo Dion erat percussus, interfectus est, atque ita debita immeritae mortis supplicia solvit a. 352.

Quum igitur Dionysius e Rhegio urbe ejectus esset exsul benigne a Locrensibus, cf. supra p. 54, receptus est, quorum benignitati paulo post adventum regnandi cupiditate ductus summa ingratitudine respondit. Nam arce urbis occupata[26]), quasi jure tyrannidem Syracusis amissam hic constituit et cum majore quam antea crudelitate arbitrioque regnavit, quo factum est, ut in acerrimum odium iramque Locrorum magis in dies magisque inci-

---

[22]) Omnes postea Hicetas Syracusanus, qui Dionis fuit amicus, ex vinculis solvit atque aliquamdiu in domum suam benigne excepit. Sed paulo post ab inimicis Dionis incitatus eas una cum infanti nautis tradidit, et, quasi in Peloponnesum traiecturus, ignominiose praecepit, ut in cursu interfectae in mare proiicerentur. Cf. Plut. Dion c. 58.

[23]) Cf. Plut. Dion c. 57. Celeberrimo urbis loco publice ei sepulcrum exstructum est, cf. Corn. Nep. Dion c. 10. Diog. Laert. III. Nro. 23.

[24]) Cf. Plut. Dion c. 58. Diod. XVI, 36 et XVI, 31: *καὶ ἦρξε* (sc. *Κάλλιππος*) *μῆνας τρισκαίδεκα.* Polyaen. strat. V, 4.

[25]) De Leptine cf. Plass. II. p. 256.

[26]) Cf. Justin. XXI, 2.

deret. Singula huius regni Locris sex per annos continuos, praesertim quum graves res bellicae non commemorentur, accuratius describere vetat nobis decorum. Sed hac in re omnes, qui de eo, dum Locris imperium tenebat, tradiderunt scriptores consentiunt, eum crudelem tyrannum et perditum fuisse atque abjectum virum. Nam ebrietati, luxuriae atque libidini summopere indulgebat, et quum idcirco pluribus egeret pecuniis quocunque modo eas adipisci temptabat quin etiam, quum Locrenses cum Lucanis bella gessissent et a Leptine Rhegii tyranno vehementer premerentur, haec ipsa bella ad repetundas ignominiosissime usurpabat. Legimus apud scriptores, eum immanissimis vexationibus, immo incredibili quadam in mulieres ac virgines ductum esse cupiditate[27]). Hanc unam Justini XXI,2 sententiam, quippe quae leniter tantum eius mores exprimat, afferre mihi liceat: „Conjuges, inquit, principum ad stuprum rapi jubebat, virgines ante nuptias abducebat stupratasque sponsis reddebat, locupletissimos quosque aut civitate pellebat aut occidi imperabat bonaque eorum invadebat". Quid quod Dionysius omnibus cuiuscunque generis vitiis obrutus fuisse videtur, ita ut per milites tantum mercenarios cuncta ira cunctaque seditio per vim reprimi posset, donec Syracusis tyrannidis recuperandae occasio ei oblata est.

Syracusis enim, Callippo ejecto, Hipparinus, Dionysii frater, imperio potitus est, de cuius regno nobis id unum traditum est, ipsum duos per annos id tenuisse[28]) et tum, quum valde ebriosus ac tyrannicus esset, occisum esse a. 350, unde conjicere possis, illius quoque regnum non mite ac jucundum fuisse.

Hipparino autem successit frater eius Nysaeus, qui, quum etiam ut ceteri luxuriae, ebrietati, quin etiam turpissimis libidi-

---

[27]) Cf. Justin. XXI, 2, 3. Aelian v. h. IX, 8. Strabo VI, 1, 8. Arist. Pol. V, 6, 7. Clearch. ap. Athen. XII. c. 58.

[28]) Cf. Diod. XVI, 36.

[29]) Cf. Theop. hist. XL ap. Ath. X. c. 47, quo loco omnino de magna trium fratrum Hipparini, Apollocratis et Nysaei temulentia refertur. Plut. de vera num. vind. ait, Dionysii maioris filiorum Nysaeo et Apollocrati parentum pravitatem fuisse innatam.

nibus prorsus deditus esset[30]), nihil egit, ut civitatem jam labefactatam redintegraret et restauraret. Sed omnes scriptores alta voce conqueruntur de tantis Syracusanorum calamitatibus. Nam summis imbuta erat urbs miseriis, continua aliorum ex aliis tyrannorum vicissitudine, quorum alius alio saevior, praedatione atque crudelitate militum mercenariorum, quibus raro stipendia solvebantur, multis ac gravibus seditionibus, intestinis tumultibus, externis impetibus. Quid quod etiam templa ac sepulcra hominum, quibus nunquam quaepiam putabantur sanctiora, negligebantur[31]).

Quum hac rerum conditione Syracusani intestinis laborarent dissidiis, Dionysius mercenarios milites conscripsit, atque, Nysaeo fratre haud magna opera ejecto, cum Apollocrate filio, decimo anno postquam ipse relegatus est, imperium recuperavit ac denuo tyrannus factus est[32]). Ol. 108,3 = 346.

Caput II.

Dionysius, quomodo iterum tyrannus Syracusis factus se gesserit, donec a Timoleonte iterum ejicitur.

Ac paulo post quam Dionysius Syracusas reversus est, propter omnia vitia in Locrenses commissa, summas persolvit poenas. Nam praesidio, quod deminutum reliquerat, ejecto libertateque sibi vindicata, Locrenses Dionysii uxorem duasque filias una cum filio natu minori eripiunt ac summa turpissimaque crudelitate tractant, quamvis Dionysius et ipsius loco Tarentini flagitent, ut quam maximis conditionibus uxorem liberosque missos faciant. Obsidionem agrogrumque vastationem perferre, quam ab exsatianda ira abstinere maluerunt, donec mulieres stupratas dilaceratasque strangulassent omniumque cadavera concremassent,

---

30) Cf. Theop. ap. Athen. 11.

31) Cf. Diod. XVI, 65. Plut. Timol. c. 1. Plato ep. VIII. p. 352—356 B.

32) Cf. Justin. XXI, 3. Plut. Timol. c. 1. Compar. Plut. Timol. c. 1 et 13. Strabo VI, 1, 8. Quam in posterum Apollocrates invenerit sortem nescimus.

ossa vero mortario contrita in mare disjecissent[1]). Quod spectanti facile intelligere tibi licet, quam crudeliter se in Locrenses ille gesserit atque, quamquam a nullo scriptore proditum est, quomodo reversus Syracusis tyrannidem exercuerit, tamen tibi persuasum habeas eum tunc iisdem, quibus antea indulsisse vitiis, civesque eo maiori crudelitate ac insolentia tractasse, quo magis nuper exsilium calamitatesque animum exacerbaverant, ita ut magis in dies magisque odiosior fieret. Itaque optimates ac nobilissimi quique, quum illius tyrannidis jugum excutere studerent, imprudenter ad Hicetam illum, qui nuper Leontinis tyrannidem occupaverat, confugiunt petituri, ut urbi rursus in discrimen vocatae quam celerrime auxilio veniat et tyranno liberet, quod ille eo libentius fecit, quum ipse, Dionysio expulso, Syracusarum imperio potiri in animo haberet. Itaque manu satis valida collecta, Syracusas profectus, castris ad Olympium[2]) munitis, Dionysium in urbe oppugnare coepit, ut fame coactus urbem traderet[3]). Ol. 108,4 = 345.

Quo tempore etiam Carthaginienses, qui, quamvis totius Siciliae vires prorsus essent exhaustae, per longum temporis spatium huic miserae terrae, quantum scimus, bello pepercerant, cum centum et quinquaginta navibus longis, bigarum supra duo milia, quinquaginta milibus militum, trecentis curribus, armis, telis cuiuscunque generis, machinis oppugnationibus destinatis, ingentique frumenti copia bene instructi ad eam oppugnandam Hannone duce trajecerunt[4]).

Sic undique tot calamitatibus oppressi legatos in Graeciam, qui a Corinthiis auxilium peterent, mittere decreverunt, quum eam ipsam civitatem tyrannis nonnunquam fuisse infestam non ignorarent. Quum legati Corinthum venissent ibique urbis conditio-

---

[1]) Cf. Aelian v. h. VI, 12. IX, 8. Plut. praec. ger. reip. c. 28. Strabo VI, 1, 8. Trog. Pomp. p. XXI. Clearch. ap. Athen. XII, c. 58.

[2]) Olympium est oppidulum e vetere Jovis Olympici templo ortum, et a meridiana Syracusarum parte ad Anapi fluminis ostium, mille et quingenti tantum passus ab urbe situm, cf. Diod. XVI, 68. Thucyd. VI, 70. VII, 4. Liv. XXIV, 33.

[3]) Cf. Diod. ll. Plut. Timol. c. 1.

[4]) Cf. Diod. XVI, 67. Plut. Timol. c. 2. Arist. rhet. ad Alex. c. 9.

nem miseriasque diserte explicassent, Corinthii dolore affecti, ut coloniae auxiliarentur, Timoleontem virum et rei militaris peritia et virtute praestantem, tyrannidi vero tam infestum, ut fratrem ipsum Timophanem eam affectantem trucidasset, ducem elegeruut[5]).

Interea, quum Timoleon classem exstrueret et ad profectionem pararet, Corinthii litteras ab Hiceta acceperunt, quae continebant tum, ne frustra fatigarentur, neve expeditione in Siciliam pericula subirent, quum Poeni longe lateque eam jam occupassent, tum, ut ipse illis se consocians id ageret, ut, Dionysio expulso, Syracusis tyrannidem assequeretur. Qua de re valde irati non solum a classis transmissione non avertuntur, verum festinant Corinthii naves parandas; et Timoleon, pluribus prosperis prodigiis conspectis, cum septem navibus Corinthiis, duabus Corcyraeensibus, una Leucadia solvit. Ol. 108,4 = 344[6]).

At Hicetas ille Timoleontem adventare certior factus, quum Dionysium, quamvis terra marique eum obsessum teneret, ad urbem tradendam cogere non posset, commeatus inopia ductus ad Leontinos copias abduxit. Sed quum Dionysius copiis statim emissis abeuntem hostem aggrederetur, proelium commissum est, in quo Hicetas superior factus tria Dionysii militum milia obtruncavit ceterosque terga vertentes, citato cursu, persecutus una cum iis in urbem irruit Syracusisque praeter arcem, quam Dionysius occupavit, potitus est[7]).

Interea Timoleon, quum secundo vento vectus esset, Jonio mari superato, tribus diebus post Syracusas ab Hiceta captas ad Rhegium appulerat. At Timoleon, quum ad Italiae oram advectus, de Siciliae tristi conditione certior factus esset atque Dionysium ab Hiceta proelio fusum atque in arce obsessum esse Syracusasque maxima ex parte ab illo occupatas, Carthaginiensibus vero, cum Hiceta foederatis, curae esse, ne ipse Siciliae terram attin-

---

[5]) Accuratius hac de re disserere a nostro proposito abhorret. Itaque cf. Timae frag. 131, 143 ed. Müller. Corn. Nep. Timol. c. 1. Diod. XVI, 65. Polyb. III. p. 45 ed. Casaub. Cic. ad fam. V, 12. Arist. Pol. V, 6 ed. Acad. reg. Bor. et Plut. Timol. c. 3—7, qui hanc rem explanate explicarit.

[6]) Cf. Diod. XVI, 66. Plut. Timol. c. 7. 8. Arist. rhet. ad Alex. qui solus tradidit Timoleontem novem tantum habuisse naves.

[7]) Cf. Plut. Timol. c. 9. Diod. XVI, 68.

geret, magno affectus est dolore ac ira. Sed Carthaginiensibus, quibuscum propter longe maiorem navium numerum pugnam committere ausus non est, quum, ne in Siciliam veniret, cum triginta triremibus ad Rhegium appulissent Italiaeque oram tuerentur, dolo arteque bellica evasit et cum decem navibus incolumis Tauromenium provehitur, ubi ab huius urbis principe Andromacho, Timaei historici patre, benigne cum suis exceptus est. Simulatque Carthaginienses se fraude deceptos esse viderunt graviter offensi per legatos ad Andromachum missos illi crudelissima quaeque minantur, dum simul Hicetas, Timoleontis transitu audito, veritus, ne ex improviso opprimeretur, denuo multas ad obsidendam Ortygiam arcessivit Carthaginiensium naves[8]).

Sic erat Timoleon procul patria cum paucis suis copiis in re maxime desperata. Nam quum Siculi Carthaginiensium ingentem classem, immensum exercitum, quocum Hanno, Entella capta, Galarinisque, qui illi urbi auxilio venirent, devictis, magis in dies magisque majores assecutus est successus, et Hicetae copiarum multitudinem adspicerent, et Syracusani et Siculi omnino parum fidei minusque spei ad recuperandam libertatem a paucis, quum vix mille essent, Timoleontis armatis, desumpserunt. Itaque facile intelligere possis, cur initio ei, quamvis se in Siciliam venisse ad tyrannidem exstinguendam divulgasset, omnes sese ei adjungere dubitarint[9]). Quod etiam Timoleon haud ignorans, celeriter prospereque agendo hunc timorem animorumque perplexitatem deprimere decrevit. Itaque quum Adranitae[10]) mutuis inter se seditionibus agitati in duas discessissent partes, quarum altera a Carthaginiensibus Hicetaque, altera a Timoleonte auxilium petivit, Timoleon minime dubitavit hac prospera uti occasione. Atque cum militibus suis, non supra mille et ducentos, confestim Adranum, quod a Tauromenio quadraginta duo milia passuum distat, profecto, contigit, ut uno eodemque fere tempore ad vesperum cum Hiceta, qui quinque milia militum secum duxit, ad

---

[8]) Cf. Diod. XVI, 68, 66. Plut. Timol. 6. 9—11.

[9]) Cf. Plut. Timol. c. 10. Diod. XVI, 67.

[10]) Adranum est angustum oppidulum sub occidentali montis Aetnae radice situm et deo Adrano, a quo nominatum est, sacrum.

oppidum adventaret, ubi in necopinatas copias ad cibum sumendum conversas irruit atque, trecentis caesis sexcentisque in captivitatem abductis[11]), ceteras in celeberrimam vertit fugam. Qua victoria inexspectata ac gloriosa factum est, ut non solum Adranitae, portis patefactis, Timoleontem benigne exciperent eiusque partes sequerentur, verum etiam Tyndaritani aliaeque civitates cum eo societatem inirent, et Mamercus Catanae tyrannus, vir bello fortis opibusque insignis, per legatos ad eum missos foedus cum eo ferire cuperet, ita ut vires eius adeo augerentur, ut Syracusas ipsas contra Hicetam castra movere auderet[12]). Sed quum Hicetas etiamtunc totam urbem praeter arcem possideret, Poeni autem Dionysium quam acerrime et magna cum classe obsessum tenerent, Timoleon, multo inferior, nihil grave efficere potuisset, nisi fortuna, quae omnino Timoleonti valde favisse mihi videtur, eum adiuvasset. Dionysius enim, quum nullam evadendi spem videret, de conditione sua iam desperare

---

11) De numero caesorum Plut. Timol. c. 12 et Diod. XVI, 68 haud dissentiunt.

12) Cf. Diod. XVI, 66, 68, qui nobis tradidit, Timoleontem post victoriam ad Adranum partam Hicetam, citato cursu, ad Syracusas usque persecutum Epipolisque potitum esse, quod minime verisimile esse videtur. Plut. Timol. c. 12 enim retulit, Timoleontis copias itinere longo tam defessas fuisse, ut non sine magno opere ad pugnam excitari potuissent, ita ut post proelium illi nec voluissent nec potuissent citato cursu Syracusas properare. Multo magis vero mihi rationi consentaneum esse videtur Timoleontem, quum, a qua Adranitarum parte auxilio vocatus erat, sibi urbis portae recluderentur, cum militibus suis eam esse ingressum ac postea demum, viribus magis in dies magisque auctis, Syracusas profectum, cum Dionysio de arce tradenda egisse. Itaque est Ortygia prima urbis pars, qua Timolon, Dionysio abeunte, potitus est et non Epipolae, quas Hicetas et Carthaginienses tenebant. Sed, ut omittam, quod vix fieri potuit, ut Timoleon tam parva cum manu Syracusas militibus quam maxime refertas, occuparet, etiam multa a Diodoro ante Ortygiam a Dionysio traditam facta esse referuntur, quae e Plutarcho postea acta elucent. Atque hanc ob causam etiam in chronologia ab eo discrepo, quum, Dionysium demum anno post Timoleontis adventum arcem Timoleonti tradidisse, memoret Ol. 109, 2 = 343, quem numerum etiam Clint. Fast. Hell. falso excepit, quoniam Plut. Timol. c. 16 diserte nobis retulit, Timoleontem a Dionysio minore „ἐν ἡμέραις πεντήκοντα“ arcem in potestatem accepisse. Cf. etiam Grote VI. p. 121.

coepit, quamquam forsitan erecto animo, audacia ac constantia etiamdiu obsessionem perferre potuit[13]). Sed ineptus ad res gerendas, luxuriae, otio, temulentiae, omnibus omnino cuiusvis generis voluptatibus libidinibusque dedito minime placuit, regnum, quod gravibus tantum pugnis et etiamtum vix observari potuit, diutius tenere. Quum igitur Timoleontis victoriam ad Adranum reportatam audiisset, atque ne Carthaginiensium nec Hicetae fidei se committere auderet, de arce tradenda cum Timoleonte agere constituit. Atque per legatos idcirco ad illum missos foedus ictum est ea conditione, ut Dionysius, arce tradita, cum omnibus suis opibus sub tuti discessus fide abiret. Quo facto, quum Timoleon quadringentos milites clam in arcem misisset, Dionysius, postquam iterum duos annos 346—344 Syracusis tyrannidem obtinuit, quinquaginta diebus post Timoleontis adventum, cum opibus suis nonnullisque amicis, principatu deposito, in victoris castra se contulit, atque privatus cum una navi longa Corinthum transvectus est. Ol. 109,1 = 344[14]).

---

[13]) Nam post arcis deditionem Timoleon praeter ingentes opes tantam invenit armorum copiam, ut 70000 homines inde ad bellum satis commode exstrui possent; equorum insuper, machinarum, telorum, omnium denique cuiuscunque generis armorum inerat haud exiguus numerus, et quod gravius erat, militum plus quam duo milia.

[14]) Cf. Suidas s. v. *ἐξώλισθεν*. Trog. Pomp. frag. XXI. Philo Jud. B p. 545 ed. Gelenus. Plut. Dion c. 13, qui refert Dionysium, *ἐπὶ μιᾶς νεὼς* in Peloponnesum esse traiectum. Diod. XVI, 70 memorat, *ἐν μικρῷ στρογγύλῳ*. Theop. frag. 216 ed. Müll. dicit *ἐν στρογγύλῃ*. Timae. autem frag. 133 prodidit; *εν μακρᾷ νηΐ*. cf. etiam Polyb. XII, 4. Nova collect. script. vet. ed. Angelo Majo p. 380. De hac, quae exstat controversia, utrum Dionysius *ἐν στρογγύλῃ*, id est, navi oneraria, an *ἐν μακρᾷ νηΐ*, id est, triremi Corinthum a Timoleonte esse transmissum. Cf. Grote VI. p. 123, cui assentior, quique tyrannum triremi et non navi oneraria esse traiectum confirmat.

Pars quarta.

Dionysius qualis fuerit Corinthi exsul.

Quum ea quae de extrema Dionysii vitae parte prodita sunt, id potissimum intendere videantur, ut tyrannum de majestatis ac splendoris fastigio dejectum illudant, difficillimum est, e multis, quae exstant, narrationibus vera a fabulosis discernere. Nullo vero modo dubitandum est, quin, quum ille fortuna deciderit, tota Graecia mirata sit atque, quum ipse in Peloponnesum adventarit non solum Corinthii verum etiam ex aliis urbibus magna hominum multitudo confluxerit, ut eum virum, cuius nomen omnes non solum cum timore et odio, sed etiam cum reverentia quasi quadam ipsius potentiae nominare solebant, adspicerent atque cum eo verba facerent. Alios sola alliciebat curiositas, alios adversa eius fortuna, alios denique gaudium de clade illius accepta. Ac refertur, Aristoxenum illum, cui fabulam, quae de amicis Damone et Phintia exstat, Dionysius Corinthi enarravit, eum rogasse, cur Platonem tam vehementer offendisset? Ad quod ille respondisse dicitur, tyrannidis maximum omnium malum esse id, quod nemo, quotquot amicos, se esse dixerint libere loquatur[1]). Tum narratur, eum a Philippo Macedoniae rege rogatum, quomodo factum esset, ut tantum a patre regnum acceptum non conservasset, haud inepte respondisse, quia sibi pater quidem reliquisset regnum, sed non fortunam[2]). Atque alii quaerenti, qua ratione imperium, quod pater egenus ac privatus obtinuisset, ipse tyranni filius amisisset, „Pater, inquit, mentem ad imperium convertit occupandum, quum popularis rei publicae status in odio esset, equidem, quum tyrannidi invideretur“ [3]). Diogenes autem, Cynicus ille, cum superbia et contemptione et contumelia eum tractavit, quod, postquam principatu se abdicasset, Corinthi privatus vitam degeret, unde Dionysius ei respon-

---

[1]) Cf. Plut. Timol. c. 15. Porphyr. c. 60. Jamblich. c. 33.
[2]) Cf. Plut. Timol. c. 15. Aelian v. h. XII, 60.
[3]) Cf. Plut. Apophth. p. 700.

disse fertur: „Recte, inquit, nostram calamitatem graviter ferre videris"[4]). Atque, quum aliquis quaereret, quemnam e Platonis sapientia cepisset fructum, respondit, ut aequo animo posset fortunae mutationem perferre[5]).

Quibus ex narrationibus mihi quidem deduci posse videtur, eum calamitatem suam libenter passum esse agendique eius rationem in universum meliorem quam Syracusis fuisse. Nam licet haud bene credere possimus, eum ab ebrietate, quam in libidinem inveterata consuetudine ferebatur, ceterisque voluptatibus prorsus se abstinuisse, temperantiae studuisse, tamen illi sententiae assentiri non possum, eum in tam sordidum vitae degendae genus descendisse, in tantam egestatem incidisse, ut inter lixas et leones in popinis, tonstrinis, lupanaribusque totos per dies squalida veste sedisset et cum mulierculis in publico altercatus esset[6]). Ac si porro nobis proditur, eum ludum aperuisse, pueros docuisse cantoresque in canendi declamandique arte erudiisse, haec ipsa narratio, licet id potissimum intendat, ut Dionysium detrectet, tamen documentum praebere mihi videtur haud sane exiguum ejus rei, quod ille eo tempore meliori atque saniori vitae conditioni litterarumque ingenuarum studio deditus erat[7]).

---

[4]) Cf. Plut. Timol. ll. Plut. An seni reip. ger. sit c. 1.

[5]) Cf. Plut. Timol. ll. Plut. Apophth. ll.

[6]) Cf. Justin. XXI, 5. Plut. Timol. c. 14, 15. Athen. XII, 58. Aelian v. h. VI, 12.

[7]) Cf. Diod. XVI, 70. Plut. Timol. c. 14. Athen. ll. Cic. ad famil. IX ep. 18. Philo Jud. de Joseph. B p. 45. Ael. v. h. IX, 8. Porphyr. vit. Pythag. c. 60 et annot. Rittershusii ad hunc locum. Jambl. c. 33. Rhet. Graec. ed. Waiz IX. p. 102. Tzetz. Chil. VI. v. 238 sqq., quo pater et filius confunduntur. Val. Max. IV. c. 9 extr. 6. Lucian p, 27. Quum autem Cicero in disp. Tusc. III. c. 12 dicat Dionysium, Syracusis expulsum, Corinthi regnandi cupiditate ductum pueros docuisse, confirmare ausim, Ciceronem ipsum non credidisse, quod retulit. Neque magis ceterorum auctorum opinioni consentio, quum dicant, Dionysium egestate commotum ludum aperuisse; nam, ut omittam, eum multas secum duxisse opes, quum Syracusis Corinthum veniret, e fragm. Memnonis Heraclaeensis c. 4 ed. Orell. etiam apparet, Dionysium Ponti tyrannum, post Dionysii minoris expulsionem omnem illius suppellectilem — *πᾶσαν ἐπισκευὴν* — quam maxime magnificam ac pretiosam emisse, unde sequitur, ut semper haberet, unde honeste viveret.

Sic igitur summus tyrannus, qui in tyrannidis splendore natus atque eruditus erat, ipseque tyrannus factus, magnum imperium, quod amissum recuperaverat, summa crudelitate atque arbitrio per longum temporis spatium quocunque modo oppresserat, uxore una cum liberis turpiter cruciatis necatisque, principatu abdicato sceptroque dejecto, nullo regni herede relicto omnique unquam recuperandi imperii spe abscissa, iterum relegatus, procul patria privatus vitam degere coactus est. Atque hoc modo impleta sunt, a patre suo, quum ignominiosam vitae degendae rationem filii vituperaret, illa dicta: *οὐδὲ σὺ εἶπεν υἱὸν* (sc. *τύραννον*) *ἕξεις ἐὰν μὴ παύσῃ ταῦτα ποιῶν*[8]). Atque mehercle, si eum Polyarchus, de quo supra dictum p. 32, vir omnibus cuiuscunque generis voluptatibus deditus, in hac vitae conditione Corinthi vidisset, certe eum non ut antea, una cum Persarum rege, cuius regnum jam tunc pessumdatum erat, quoniam uterque omnia, quae ad parandas voluptates opus essent, satis superque possideret, felicissimum omnium hominum appellasset. Quid quod Dionysii nomen, cuius adspectu ac vultu antea sexcenti trepidarunt, in proverbium abiit „*Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ*"[9]), ad fortunae varietatem humanarumque rerum vicissitudinem exprimendam. Atque hoc est solum monumentum, quod nec tempore nec aetate diruendum sibi exstruxit[10]).

---

[8]) Cf. Plut. de Apophth. p. 697.

[9]) Cf. Rhetor. Graeci ed. Waiz II. p. 233, 258. VII. p. 1170, 1179. VIII. p. 752. IX. p. 5, 6, 48, 102. Cic. ad Attic. IX, 9. Diog. Laert. III. Nr. 24. Annot. Rittersh. ad Porphyr. vit. Pythag. c. 60. Annot. Waiz ad rhet. Graec. IX. p. 5.

[10]) Quamquam multi scriptores et Graeci et latini de vitae Dionysii minoris ratione Corinthi, licet fabulosa, memoriae prodiderunt, tamen nullus de eius morte aliquid retulit, ita ut nullo modo statuere queas, quamdiu Dionysius, qui, quum expelleretur, circa quinquaginta duos annos natus erat, vixerit atque qua ratione, aut quo loco diem supremum obierit. Nolo igitur coniecturam proponere, cui solidae rationes certo sint defuturae. Sed mihi quidem plures per annos vitam degisse videtur, quum Aelian v. h. VI, 12 dicat, eum senem finiisse vitam.
